

BREVIS ET PERSPICVA RATIO IVDICANDI GENITVRAS, EX PHYSICIS CAVSIS & vera experientia extructa: & ea Methodo tradita, vt quiuis facilè, in genere, omnium Thematum iuditia inde colligere posſit: CYPRIANO Leouitio à Leonicia, excellente Mathematico, Autore.

Ex Libris Sᵗᵃᵉ Genovefae 1733

PRAEFIXA EST Admonitio de vero & licito Astrologiæ vſu: per Hieronymum VVolfium, virum in omni humaniore literatura, linguarum, artiumq; Mathematicarum cognitione præſtantem, in Dialogo conſcripta.

ADIECTVS EST præterea libellus de Præſtantioribus quibuſdam Naturæ virtutibus: IOANNE Dee Londinenſe Authore.



LONDINI.

ANNO. M. D. LVIII.

Menſe Iulio.

NOBILI VIRO D. CYPRIANO LEOVITIO A LEONICIA, EXCELLENTI MAthematico. &c. Hieronymus VVolfius S.D.



NOn sine periculo voluntati tuæ morem gessi. Verendum enim mihi esse video, ne & ab *Astrologiæ cultoribus* paruam gratiam inierim, & à diuinę matheseos reprehensoribus ridear, vt qui patroni parum diserti nec satis diligentis munere functus, aut etiam præuaricatus sim, & cum aduersariis colluserim. Ac ipse quidem fateri cogor, ad hanc causam pro dignitate agendam, eruditionem & facundiam maiorē requiri, *quā quantā mihi Mercurius, omni pręsidio Veneris & Iouis, vt scis destitutus, & infestis Saturni & Lunæ, radiis* pulsatus, largiri potuit. Qui autē maius studiū, & synceriorē clientis amorem ad defensionem afferret: neminem prorsus esse arbitror. Nam si quisquā mortalium viuit, cui innatum sit philosophiæ, id est, cognoscendæ veritatis, & omnium bonarum artium, astrologiæ verò inprimis, summum desiderium: is ego profectò fui, & sum adhuc aliqua ex parte: tametsi negare non possum, tot & tam perpetuis Fortunæ aduersationibus, ardorem illum nonnihil restinctum esse, ac parum abesse, quin cum perdiscendi spe, discendi quoque voluntatē abiecerim. Quod si omnia mihi nūc integra essent, & vitam, vt Antipho dixit, tanq̄ talum transponere liceret: longè aliam rerum mearū rationem inirem: quandoquidem Natura & Fortuna mea ex diametro pugnāt. Nā Philosophię doctrinam, quā illa ἔργον mihi esse voluit, hęc πάρεργον fecit, & ab ineunte ætate πλέω μοι τὰ πάρεργα γέγονε τῶν ἔργων, vt tum demū veluti nocturno quodam furto philosophari mihi, sed nimium paucis liceret, cum aliis curis & occupationibus essem vacuus. Vnde factū est, vt animus meus in plures & ferè contrarias res distractus, ad perfectam liberaliū artiū cognitionem aspirare, & solidam laudem in vllo genere adipisci nō potuerit. Quæ mihi calamitas, & si nō raro Vergilianū illud gemēti.

Heu nihil inuitis fas quenq̄ fidere diuis:

æquo animo ferenda est, & facilius sanè ferretur, nisi fato nescio quo (malo certè quidem vt Aristarchi affirmant) non modò, scriptor sed & τῶν πολυγράφων εἷς, si Diis placet, extitissem & figlinam non ab vrceo, sed á dolio auspicatus, in amplissimum theatrū nasutissimæ literatorum nationis prodiissem, idq; sæpius,

μακρὰ βιβὰς χερσὶν κραδάων δολιχόσκιον ἔγχος.

Sed ne longius ab instituto aberrem, non voluntas ornandę professionis tuę mihi defuit: sed facultas: ingenij, doctrinæ, eloquentiæ inopia, & exiguum tantæ rei tractandæ spatium conatus meos impediuerunt. In quo si qua culpa commissa est, et commissam esse non nego: tu, qui temeritatis huius præ-

cipuus autor mihi fuisti, & nihil tale cogitantem ad euulgandum hoc προγυμνάσματα impulisti, in eodem crimine mecum hæreas necesse est, & ad vtriusq; nostrum defensionem, potentissimi & benignissimi tui Mecœnatis, omnem opem, omnem autoritatem conferas, nisi forte

Causa patrocinio non bona maior erit.

» apud eos præsertim, qui τὸ ἀκριβοδίκαιον spectant, nec vllam æqui boniq; rationem habent. Nam ab ipsa Vrania, quæ, Dea cum sit, intimos vtiq; pectoris mei recessus perspicit, non modò veniam, sed gratiam quoque me consecuturum scio. Neq; astrologia mihi irascetur, quasi aduersarijs nimiū concesserim, quæ profecto tantum odium atq3 inuidiam nunq̃ suscepisset, si
» laudatoribus minus impudentibus vsa, ne dicam si à lenonibus paulò vere-
» cundioribus prostituta fuisset. Inuidum est mortalium ingenium, ait Cicero, & facillimè alienis laudibus offenditur, eóq3 magis, si laudatores multum oris, parum frontis, & minimum pectoris habuerint, & quæ verbis iactarint, re ipsa demonstrare ac præstare non potuerint. Hinc factum est, vt diuina hæc scientia penè in prouerbium summæ vanitatis abierit, & graues pœnas alieni sceleris dederit. *Verissimè pronunciat Isocrates meus* (*quid ni*
» *verò meum apellem, quem & maximi facio, & tot vigilijs illustrare studui?*)
» artibus autoritatem conciliare non eos, qui multa insolenter de eis iactare
» audeant, sed qui id eruere ac proferre possint, quod vnaquaq3 contineatur, nec iniuria contemni vulgò & derideri eos, qui scientiam futurorum professi, ne præsentia quidem prudenter administrent, hominibus planè indoctis ineptiores. Cæterùm bona mihi spes est, Hieronymi Cardani præstanti ingenio & multiplici reconditarum artiū doctrina & tua fideli & solerti opera, quem Naturæ propitiæ singularis quidam genius adiuuat, diuinam Mathesin pristinam dignitatem & autoritatem recuperaturam. Quod quidem non tàm subtilibus disputationibus fiet, q̃ si (vt Firmici verbis vtar) Astrologia fidem suam hominibus responsionum apotelesmatumq; diuinis ac manifestissimis autoritatibus comprobarit. Quam felicitatem vel posteritati gratulabor, *siquidem eã mihi infesti Martis radij denegarint*. Conferrem eodē & ipse libens omnem operam, studium atq3 ingenium meum, si quod est, si tantum *præstare possem*, quantum & ipse cupio, & rei magnitudo flagitat. Nunc verò quid conatus sim, imo vero q̃ parum aut nihil potius præstiterim
» vides, & lucubratiunculam, hanc qualemcunq;, saltem vt diuturnæ familia-
» ritatis nostræ & iucundæ consuetudinis pignus & monimentum, pro candore tuo, æqui boniq; facies. Nam quæ à me prætermissa sunt, studiosi ex primo Firmici, & quarto Manilij libro ex præfatione Ptolemæi in Quadripartitum, ex Luci Bellantii, Ioannis Iouiniani Pontani, & aliorum eruditorum scriptis petant. Ego artis fundamenta mihi non attingenda esse censui (id enim & maioris operæ est, & ab iis quos modo citaui, ac pluribus aliis abundè factum) sed imperitioribus, artis & vsum & abusum breuiter demonstrare sum conatus.

Vale q̃ felicissimè. Augustæ Vindelicorum x. Cal. Martii. Anno dominicæ natiuitatis. M. D. LVII.

ADMO-

ADMONITIO DE ASTROlogiæ vſu.



I ii, qui Aſtrologia calumnianda, neſcio quibus vel ignorantiæ vel improbitatis intemperiis acti, vſque adeo delectantur, ingenii humani imbecillitatem, & multiplices vitæ caſus, & omnium artium, profeſsionum, actionum lapſus, errata, fruſtrationes, controuerſias, conſiderarent: vtique huic noſtro ſtudio æquiores eſſent, & ſuam quoque ſapientiã, quantacunque vulgo habeatur, non aliud niſi ambiguum quoddam *ſomnium* eſſe, quod vir ſapientiſsimus Socrates, ingenuè confeſſus eſt, intelligerent. Nunc haud ſcio qui fiat, vt Lamiarum plena ſint omnia, & paucisſimi videant manticæ quod in tergo eſt, vt ille ait. Etſi autem vel calumniatrices linguas reprimere vel *pertinaciam* à ſemel concepta opinione deducere, vel morbum incurabilem ſtultitiam depellere conari, ſummæ dementiæ fuerit, nec aliud quàm laterem aut Aethiopem lauare: tamen quia plures ſunt mediocres naturæ, quæ agnita veritate cognitum errorem libenter deponunt: operam dabo, vt ad *argumenta aduerſariorum non omnia, id enim non niſi iuſto volumine* poſſet fieri, ſed ad ea quæ maximè in *promptu* ſunt, breuiter reſpondeam, & diuinæ huius artis vſum, vtcunque declarem.

Principio ſi eæ res abiiciendæ & conculcandæ erunt, quæ vel in multorum (addo etiam autoritate præſtantium hominum) reprehenſionem incurrunt, vel controuerſiis, iisq; nec paucis nec leuibus inuolutæ ſunt, nec Theologia, nec iuris prudentia, nec Medicina, nec ſummum naturæ humanæ bonũ princeps ac Regina & mater omnium bonarũ artium, vitæ dux, animi quies vnica, ſummæque delitiæ Philoſophia, vt cæteras taceam, dignitatem ſuam retinebunt. Sin iſta his non nocent (cur vero nocerent? quid enim iniquius eſt, quàm res non ſua natura, ſed improborum & ſtultorum hominum calumniis æſtimare?) iniquum fuerit, ſolam Aſtrologiam deteriore conditione eſſe velle, & Plumbeo infirmæ autoritatis pugiunculo confoſſam eſſe ſcilicet, *iudicare: quam quidem autoritatem, ſi in libera ciuitate, libera lingua* vti liceret, ita refutaremus, vt inſolentes illos homines ſui puderet & pœniteret. Profecto ſuo malo diſcerent, eum qui *alios reprehendere* velit, omni culpa & crimine vacare oportere, & ſummæ eſſe ſtultitiæ, iis machinis alios oppugnare, quibus facilimè ad hoſtes tranſlatis, omnes ipſorum munitiones primo ictu corruunt. Sed temperandum eſt calamo, & reſpondendũ alteri cauillationi. Summis laudibus digna fuit Pythagoræ diligentia & ſolertia, qui in ſuam diſciplinam recipiebat neminem, niſi prius omnibus corporis lineamentis accuratè perſpectis: Idem patrum quoque noſtrorum memoria in pueris ad rem equeſtrem deligẽdis factum eſſe conſtat. Nunc haud ſcio, quo malo fato fit, vt aut fatui aut improbi ferè homines omnium diſciplinarum poſſeſsionem impunè inuadant. Cui rei vt obſiſteretur, ſcholaſticę olim dignitates, quos gradus vulgo dicunt, optimo ſanè conſilio inſtitutæ fuerunt, vt quemadmodum opificibus in bene cõſtituta ciuitate artem ſuam niſi à magiſtris, illuſtri edito ſpecimine probatam, facere nõ licet, ita in numero doctorum nemo haberetur, niſi ingenii, doctrinæ, integritatis vitæ, publicum teſtimonium eruditorum, quo imperiti niterentur, attuliſſet. Nunc

quia non fabri tantum, sed subulci etiam & latrones aliquando fabrilia tra-ctare instituunt: in quanto contemptu & odio sint disciplinæ omnes vide-mus, & communis illius calamitatis Astrologiam quoq; partem capere non minimam, eo minus est mirandum, quo plura ad iustam eius cognitionem requiruntur. Neq; vero impudentia, temeritas, arrogantia, ignorantia pro-fessorum, veritati obstare debet, aut ipsam artem eleuare aut infamare. Op-ponantur imperitis circulatoribus, Nigidij, Sosigenes, Thrasylli, Ascle-tariones, & innumeri alij, quorum certissima oracula prodita sunt in histo-rijs, nec ætati nostrę exempla desunt, si verum sine inuidia fateri libeat.

Neq; tamen interim negandum est, plausibilia contra ipsam artem argu menta afferri, vt de concitatissima cœli conuersione de incerto puncto vel concepti vel editi infantis, de dissimilibus moribus & fortunis gemellorũ, quorũ alter alterum nõ longiore forsitan interuallo sequatur, quam quan-to plerunq; à vero natiuitatis punctus propter obseruationis vel difficulta-tem vel negligentiã aberretur: de naufragijs, de incendiis & excidiis vrbi-um, de pestilẽtiis, de internecione exercituum (neq; vero esse probabilę tot millibus idem sydus horoscopasse, aut eadem hora interitum à nataliciis stellis decretũ esse) *de terræ motibus, de natiuitatibus infinitorum eodem* momento & iisdem & *diuersis in locis*, in lucem prodeuntium, quorum alii reges fiant alii opiliones, alii philosophi, alii tyranni, alii Crœsi, allii Iri, alii mares, aliæ fœmellæ, alii gibbosi, alii proceri, alia deniq; infinita discri mina, quæ vix enumerari queant. Plausibiliter inquam hæc dicuntur, & adeo probabiliter vt nõ cuiuis in promptu sit quod respondeat. Et profecto maio-ris operæ hæc sunt, quam vt in pręsentia explicari queant. Agetur id fortas-sis à Leouitio nostro in prolixo illo opere astrologico, quod is iam pridem inchoatum & congestum, cum primum licuerit digeret & absoluet. Interea illud tantum dico, nisi hæ difficultates obstarent, &, si vel Æsculapii Myrio genesim, cuius meminit Firmicus, vel Albubatris illa infinita Roboat, certa scientia comprehensa teneremus: nos haud dubiẽ diuinitatis quandam opi nionem subtilitate & certitudine prædictionum, apud plerosq; consecutu-ros. *Nunc illorum ignorationem, tantum non obstare nobis, quin generalia quædam probabili coniectura indagemus, & ut aliquando fallamur* (quod in rebus minus arduis & minus longẽ à captu ingenii humani remotis, sum-mis etiam artificibus aliquando accidit) sæpius tamen scopum attingamus, nisi in nobis ingenium eruditio, diligentia, fides, iudicium desyderetur quæ nostra vtiq; culpa & vitium non artis ipsius fuerit. Neq; enim infacetẽ dixit Cynicus, non astra sed astrologos errare, imò nõ astrologos, sed eos qui fal-so eius scientię titulo sese venditant, & id se tenere profitentur, quod aut pla nẽ ignorant, aut nõ satis accuratẽ perfecteq; didicerunt.

Atque hæc pręfanda esse duximus, propter quorundam adeo graue (si Diis placet) præiudicium, vt iudiciũ non habeat. Cætera minutiora & scrupulo-siora huic professioni obiici solita, infinita penẽ sunt, & parui pleráque mo-menti, et si qua sunt, quæ ponderis aliquid habeant, ea rectissimẽ in ipso tra-ctatu astrologico, suo quæque loco vel refutabuntur, vel declarabuntur. Nunc anteq̃ ad rem accedamus, dicenda quædam sunt, quibus rudiores si-mul ad ipsa præcepta & rectius præcipienda, & prudentius ad vsum confe-renda preparẽtur, simul, ne extra limites artis in pronunciando temerẽ eua

gentur

gentur, admoneātur. Libuit autem ea Dialogo breui complecti: cuius interlocutores erunt Astrologus & discipulus: quorum personæ literis A & D distinguuntur.

D Quid est Astrologia?

A Est doctrina de effectu syderum in elementis, & iis rebus quæ ex elementis constant.

D Quot sunt partes præcipuæ Astrologiæ?

A Quatuor numerari possunt. vna quę agit de tempestatibus seu mutationibus aëris, & iis rebus quę inde consequuntur, vt sunt salubritas vel pestilentia, copia annonæ vel penuria. &c. Altera de principijs, mutationibus, excidiis imperiorum atque vrbium, in qua parte pax bellum sectæ religiones, & res gerendæ magnorum principum continentur. Tertia στηχειωματικη in fabricandis characteribus sigillis et statuis consistit, quorũ effectus mirabiles, cum alibi, tum in Byzantina historia complures referuntur. De qua nihil nobis hic agendum esse duximus, quod plerique sunt, qui eam nec à *Magia nec ab Idololatria multum abhorrere opinentur.* etsi profecto iniqui sunt, qui rei abusum ab vsu nō distingũnt. *Postrema de priuata cuiusque* fortuna & statu agit. etsi hæc quoque in tres partes potest distribui, in genethlialogiam quæ merito princeps cæterarum habetur, eáque de causa ferè sola à nobis, neglectis cæteris, colitur: in electiones temporũ cuiuis genesi fauentium: & in quęstiones siue interrogationes de rebus quæ ex genesi cognosci nequeunt. Quod si quis tripartitam diuisionem magis probat, & vniuersalia illa de statu orbis terrarum, quę a magnis coniunctionibus pendere existimantur, à iudicio tempestatum nō seiungit, aut hanc partem illi postponendam, aut aliam diuisionem instituendam esse censet, equidem nō impedio. Nam & ipse video tempestatum rationem nō magnis locorum interuallis mirabiliter variare, & paucissima esse, ne nulla dicam vere vniuersalia quæ totum terrarum ambitum peruagari soleant. Mihi tamen partitio hæc rudioribus *apta esse visa est.*

D Estne aliqua certitudo Astrologiæ?

A Astronomiam quę syderum motum tradit, esse certissimam quotidiana defectuum Solis et Lunæ docet experientia. Cum autem illa cognitio vulgo inanis esse videatur (Pauci enim sunt, qui ipsam contemplationem certissimæ veritatis amplissimum operæ precium existiment) nisi etiam demonstretur, quid defectus atque alia quę in syderibus contingunt: significent: concludi potest, aut superuacaneam esse syderum obseruationem (quod qui affirmaret, nemo vnquã tã insanus repertus est) aut ex astris diligenter obseruatis, magnaque adhibita prudentia, etsi non omnia, propter materiæ inconstantiam, & aliarum pluriũ causarum aduersationes, multa tamen, si nō certo, at probabiliter posse de rebus futuris iudicari. Sic igitur breuiter licet argumentari. Est aliqua Astronomiæ scientia. Ergo etiam Astrologiæ. Si enim causa efficiēs certa est, sicuti est: de effectu seu euētu quis dubitet? præsertim cum tot experimentis, iisq; quotidianis ferè, in valetudine, in animi affectionibus, in cōmodis aut incommodis externarum rerum, vis syderũ appareat

cum

cum apud omnes, tum eos potissimum, qui sui Horoscopi & aliorum significatorum progressiones diligenter & cum iudicio obseruant.

I.

D. Qui fit igitur, vt Astrologi vulgo, tanquã vani & stolidi rideantur, atq; etiã impietatis rei fiant à Theologis.

II.

A. Multæ causę sunt è quibus nos præcipuas breuiter attingemus.

Multi homines stolidi, indocti, audaces impudentes, Astrologiæ cognitionem iactant, cuius fundamenta nunq̃ attigerunt. Hi vt merito reprahenduntur, sic iniuria fit bonis & doctis viris.

III. In causa est negligentia Principum, qui non curant, vt astrorum motus (quod maximè his temporibus necessarium esset. Nam motus Mercurii & Martis, vt de stellis fixis & Sole, in cuius aliquot minutis hæsitamus, nihil dicam, non satis exploratus est) accuratius & certius obseruentur.

Cum in rebus quotidianis quæ sub sensuũ cognitionem cadunt, toties hallucinemur: quis miretur, sydera, quæ tam in infinito interuallo à nobis distant, non satis esse cognita?

D. *Nonne igitur stultitiæ est, ea indagare, quæ captum humani ingenii superent?*

A. Paucis respondere licet Horatiano versu.

I. Est aliquo prodire tenus, si non datur vltra.

Præsertim cum omnis ferè humana scientia sit mutila & imperfecta.

II. D. Nonne verò impietatis est, hominem arrogare sibi scientiam rerum futurarũ, quæ solius esse Dei propria dicitur?

A. Multa responderi possunt, sed nos præcipuis erimus contenti.

Ea est Dei cognitio, vt suapte vi omnia præterita, præsentia, futura in cõspectu habeat: Homo ad futurorũ cognitionẽ, ꝑ ambages peruenire conatur.

Si quid homo *futuri prospicit*, id tam exiguum est, si cum cognitione diuina conferatur, q̃ si minutissimus *puluisculus cum toto orbe terrarum, aut pecuniola tenuis agricolæ cum infinitis thesauris potentissimi regis cõparetur*

Deus ipse homini propterea mentis & sensuum integritatem dedit, vt nõ modo belluarum more, pręsentia duntaxat perciperet, sed futurorum etiam quandam cognitionem haberet. Ac Plato perq̃ eruditè ait: Homini oculos propterea esse datos, vt cœlum intueatur. Vt igitur oculi munus est pręsentia intueri, memoriæ, præterita repræsentare: sic mentis, prospicere futura, quæ Deus ipse arcano afflatu, somniis, imaginibus sæpissime hominibus ostendit, in rebus tàm ad hanc, q̃ ad futurum vitam pertinentibus. Pinxit enim cœlum mirabili quadam scriptura, quã si perfectè possemus legere, perfectè essemus sapientes. Pinxit in facie, in manibus, in habitu totius corporis, ingenia, mores, fortunas hominum. Sed nos eã scripturam, aut nõ intelligimus aut negligimus, atq; ipsi nos belluis æquamus, quæ solo sensu ducuntur, cum tanta sit mentis excellentia atque diuinitas.

Nemo impietatis damnat agricolas, si ex ratione tempestatum, de prouentu frugum: nemo item medicos, si ex habitu corporis, ex tactu pulsus, & inspecti-

ſpectione vrinæ, de valetudine & vita hominis: nemo eruditos & prudentes viros ſi è ſtatu præſentium rerum conijciant & diuinent quid paulo poſt in Republica futurum ſit. Quæ igitur inuidia eſt, ſolis Aſtrologis impietatis crimen impingere?

D Sed vt impii non ſint, imprudentes certe, audaces ac temerarii videntur.

A Prudentem Aſtrologũ adeo non eſſe impium, vt conſideratione perpetui illius curſus, ac certiſsimi ſyderum omnium, & vi atq; conſtantia effectionum in inferioribus corporibus, ad ſummam Dei conditoris reuerentiam, cultum, & amorem excitetur: nemo ſanus negare poterit. Quod autem ad crimen temeritatis, impudentiæ, atq; audaciæ attinet: fatendũ eſt, id quod antè diximus, vt in omni genere artium, ſic etiam in Aſtrologia multos homines importunos & ſtolidos ipſi ſcientiæ, quanquam per ſe honeſtiſsimæ inuidiam atq; odium conflare.

D Sed quomodo iſtud odium crimen atq; inuidiam *vitabit Aſtrologus?*

A *Multis rationibus ſed duabus inprimis, modeſtia & prudentia.*

D Modeſtia quomodo?

A Si non profitetur ea ſe ſcire quæ nondum ſatis cognita habet. Si Aſtrologiæ non plus tribuat, quam ea præſtare poteſt.

D Prudentia quomodo?

A Si tantam Aſtrologiæ cognitionem conſecutus, quãta his temporibus contingere poteſt nihil ominus cogitet varias eſſe cauſas, quibus in errorẽ impelli poſſit.

D *Quæ ſunt illæ cauſæ?*

A Complures. *Sed nos præcipuas recitabimus.*

D Dic primam.

A Cum in aliis rebus, in quibus quotidie verſamur, etiam prudentiſſimi toties fallantur & tamen ea negocia in quibus falluntur, non abijciant: non mirum èſt Aſtrologos qui id inquirunt quo nihil eſt, ipſo Deo excepto, in rerum natura præſtantius, aliquando aberrare, quanquam id eo minus contingit in rebus cœleſtibus quo certior eſt ſyderum curſus, id quod eclipſes declarant, quæ multis antè ſeculis poſſunt præuideri.

D Nonne vero, quod ipſe paulo ante fatebaris, quorundam Planetarum motus non ſatis compertus eſt, & ſtellæ etiam fixæ complures ignorantur?

A Quod de ſtellis fixis dicitur, leue eſt. Habent enim eæ vim minorem quæ obſcuriores ſunt: clariores autem quid ſignificent, diligenter explicant Aſtro-

D De planetis autem quid respondes?

A Quid aliud, nisi præclarissimam artem barbariè & negligentia magnorum principum, sine quorum ope sydera obseruari nequeunt, penè interire. cum plerique pecuniam in exitiosa bella aut fœdas voluptates effundere malint? Est igitur aliqua controuersia de motu Mercurij & Martis, quæ in iudicando nonnunquam errores parit.

D. Si ita est, cur in re incerta magnus labor sumeretur?

A. Hæc est vitæ humanæ miseria, vt longè plura mala quàm bona, longè plura incerta q̃ certa sint. Sed vt vitam, quamuis & morbis & calamitatibus plurimis & morti deniq; obnoxiam, propter adiunctas cõmoditates, quoad Deus & natura sinunt, retinemus: sic in omnibus artibus boni consulenda sunt ea, quæ sciri possunt, quæ ignorantur, æquo animo ferenda. Alioqui si quis nihil admittere velit, nisi perfectum, & omnibus suis numeris cõstans: is repudiabit Theologiam, Iuris prudentiam, Medicinam, Agriculturã, mercaturam, *rem militarem, omnes denique humanæ vitæ actiones & occupationes. Verissimè enim Salomon, Vanitas, inquit, vanitatum & omnia vanitas?* Ac Solaris cursus ignoratio conuersionibus annuis, quas vulgo reuolutiones vocant, Motus Martis & Mercurii, etiam genituris incommodat: nõ tantum tamen, vt artis nullæ vtilitates relinquantur.

D. Quæ sunt igitur Astrologiæ vtilitates?

A. Magna vtilitas est, & summa voluptas, animo belluinis voluptatibus non corrupto, mirabiles effectus syderum in his inferioribus corporibus cognoscere: & sic quasi per gradus quosdam, ad parentem & autorem rerum omnium Deum, ascendere.

D. Declara exemplo?

A. Compertum est euidentibus rationibus, *nullam stellam, quæ sub aspectum oculorum cadat, non esse maiorem terra, Luna sola excepta,* quæ terra minor est. Deinde Sol *dicitur* centies, sexagies sexies maior esse toto orbe terrarum. Iam cogitandum est, stellæ & Sol q̃ exiguæ particulæ sint totius cœli. Deus autem qui non modò terram & stellas & Solem, sed vniuersitatem hanc rerum omnium, & totius cœli immẽsitatem condidit, conseruat, regit, gubernat, quantus tandem, q̃ potens, q̃ sapiens, q̃ bonus est iudicandus?

D Quæ est considerationis huius vtilitas?

A Multiplex. Nam potentia reuerentiam, admirationem, sapientia, bonitas amorem Dei in nobis excitare debet, ut Christus ipse Dei beneficentiam eo nomine prædicat, quòd Solem suum oriri sinat super bonos & malos.

D Ergo in vita ciuili nullus Astrologiæ vsus est?

A Quicquid ad Deum cognoscendum, amandum, colendum inuitat, maximè

ximi profecto faciendum est, etiamsi nullæ aliæ vtilitates sequerentur. Sed Astrologia etiam vitæ ciuili multũ prodest, si prudenter vsurpetur & sobriè.

D. Quomodo?

A. Præuidere impendentem (vt de publicis primum dicamus) annonæ caritatem, magistratibus vtilissimum esse, declarat exemplum Iosephi, qui Aegyptum conseruauit. Præuidere bella nonne expedit, vt aut ad defensionem mature nos paremus, aut de pacificatione cogitemus? Iam in pestilentiæ significationibus, victu & medicamentis curare valetudinem, aut de sede mutanda (si res patitur) cogitare, nemo negabit expedire. Sapienter enim Poëta:

Qui sapit, ille animum Fortunæ præparat omni
Præuisumq; potest arte leuare malum.

Sed omnium præstantissima præparatio est, cõmendare se Deo, & æquo animo ferre non culpare, quicquid mutari non potest.

D. Sed ad eam rem quid Astrologia est opus? Nonne Christus nos semper orare, & paratos esse iubet?

A. Iubet, sed idem præmonet suos variis & arcanis rationibus: tantum abest, vt has naturales prædictiones cuiquã inuideat. Non enim omnia humano consilio prouideri possunt, & quæ aut multum abesse, aut fortasse nunquàm futura esse videntur, minus afficiunt animos.

D. Eam igitur Astrologiæ vtilitatem esse dicis, præparare se ad omnem euentum?

A Dico vtique: si læta impendeant, vt te pares ad moderationem animi, & ad benefaciendum alijs: vt fortunæ fauori negligentia tua non desis: vt Deo gratias agas. Si tristia, vt Deum ores, vt aut auertat, aut mitigét, aut vires animo tuo addat, ne succumbas oneri, vt diligenter malorum causas & occasiones caueas, & tanto vigilantius omnia administres, quanto plus periculorum astra denũciant. Nam inuocatione Dei & diligenti prçparatione multa mala impendentia vel declinari vel mitigari posse, omnibus seculis optimo & prudentissimo cuique persuasum fuit, & piorum hominum quotidiana experientia testatur.

D Ergo non statuis vllam euentuum necessitatem?

A Iniuriam Astrologis faciunt, qui etiam eo nomine illos impietatis reos agunt, quasi sidera, & Deum syderum autorem, etiam peccatorum & scelerum omnium autorem faciant. Etsi ijdem ipsi parum ab eodem crimine absunt, qui omnia facinora peruersæ voluntati Diaboli & hominum asscribãt. Num enim Diabolus & homines ipsi se fecerunt, aut vllam corporum atque animorum facultatem à semetipsis acceperunt? Sed omissa recriminatione, Astrologis cordatioribus iniuriam fieri dico. Nam vt de reliquis nihil dicã: Ptolemæus Astrologorum prædictiones edicta prætoria esse negat: quarum

ea natura sit, vt et euenire queant, & eas euenire necesse non sit, et sapientem dominari astris affirmat. Quam sententiam eleganti paraphrasi Ioannes Hyphanticus exposuit his versibus.

Sidera corporibus præsunt cœlestia nostris:
Sunt ea de vili condita nanq; luto.
Cogere sed nequeunt animum ratione fruentem:
Quippe sub imperio solius ipse Dei est.
Sed quia terrestri mens aurea mole grauatur:
Sub iuga sæpe sui corporis acta venit.

Quare si rationem ducem sequeremur, & appetitum menti obedientem præberemus: mulra cauere possemus & vitia & infortunia, quæ sunt vitioru̅ plærunque pœnæ. Sed distinctione tamen hic vtendum videtur.

D. Qualis est ea distinctio?

A. Primum spectatur diuisio corporearum & fortuitarum rerum, quas separare prodest à propensionibus animi.

D. *Quo pacto?*

A. *Propensiones ad virtutes & vitia, ferè sunt in hominis potestate*, vt eas regere, suoque arbitratu, vel augere vel imminuere posit, modo velit. Sed hic quoque, proh dolor, magna hominum imbecillitas, ignorantia, socordia conspicitur, vt fato quodam vrgeri videamur, quod pro diuersis ætatibus, locis, rati one victus, familiaritatibus, maximæ fiunt animorum & moru̅ mutationes. Vnde non omnino abs re Cicerone interprete scripsisse videtur Homerus.

Tales sunt hominum mentes, quali pater ipse
Iupiter auctiferas lustrarit lampade terras.

Pauci enim naturæ prauitati resistunt, & affectus ratione gubernant, & vulgo fit, quod alius Poeta, quodam velut oraculo prodidit:

Hic satus ad pacem: hic castrensibus vtilis armis:
Naturæ sequitur semina quisq; suæ.

Deinde non omnino absurdè dicitur. Fortunam à suis cuique fingi moribus. Nam qui modesti, officiosi, strenui, cauti, asidui sunt, votorum pleru̅que fiunt compotes. Contrà, væcordes, ignaui, superbi, improbi, sunt in contemptu & odio. Itaque Fortuna nonnulla ex parte pendet à moribus.

D. Quare addis nonnulla ex parte?

A. Quia experientia testatur ignauos & improbos, interdum bonis & diligentissimis viris feliciores esse. In quam sententiam eleganter Manilius disserit, cuius aliquot versus ascribendos esse duxi.

Succumbunt artes, rationis vincitur vsus.
Cura nocet: cessare iuuat: mora sæpe malorum
Dat causas: læduntque cibi, parcuntque venena.
Quin etiam infelix virtus, & noxia felix:
Et male consultis precium est, prudentia fallit.
Nec fortuna probat causas, sequiturq; merentes,

Sed

Sed vaga per cunctos, nullo discrimine fertur.
Scilicet est aliud quod nos cogâtque regâtque
Maius, & in proprias ducat mortalia leges,
Attribuâtque suos ex se nascentibus annos
Fortunæque vices.

Quod ipsum diuino quodam consilio fieri non est dubium, de quo hic non est disputandi locus, & Astrologiæ magna pars, in fortuitorũ euentuum prædictionibus versatur, propter quos ferè solos expetuntur. Quis enim tantũ curat sanam mentem in sano corpore, quæ si non sola, at vera & summa bona sunt, quantum diuitias, honores, autoritatem, potẽtiam, gratiam, longæuitatem, victoriam, felix coniugium, prosperos liberos, nobilitatem, voluptates, & id genus alia plurima, quæ sæpius stultis & improbis, q̃ bonis & sapientibus contingunt? vt ipsa natura errores & vanitatem hominum coarguere videatur, & velut digito demonstrare, non esse vera bona, quæ vulgus tantopere expetat & admiretur. Alioqui enim ea non penes eos futura penè solos, qui diuina humanáq; iura ferè omnia conculcarunt.

D. *De corporeis rebus quid est sentiendum?*

A. Naturam ad vitæ longitudinem & breuitatem, ad formam, ad valetudinem, ad vires, longè plus valere q̃ diligentiam & artem. sed tamen salubri victus ratione temperantia & labore iuuari, luxu & desidia vehementer affligi posse corpus. Nam aliter profecto & animo & corpore afficietur, qui acetum biberit, & cæpas comederit, q̃ qui perdicibus & vino suaui fruitur: aliter, qui crapula distentus vires in ganeis eneruarit, quàm qui sobriè vixerit: aliter, qui in fœtore obscuri carceris inclusus est, quàm qui in puro aëre & amœno loco ætatem exigit. Iam quantum referre censes, qua forma, ætate, valetudine, affectione parentum natus sis?

Fortes creantur fortibus & bonis:
Est in iuuencis, est in equis patrum
Vigor, nec imbellem feroces,
Progenerant aquilæ columbam.

Alia & corpora & ingenia gignit Scythia & Germania, alia Libya & India. Neque solum cœlum est intuendum, sed ea etiam quæ ante pedes sunt, considerenda, & caussæ proximæ cum remotissimis coniungendæ: ne dum solis astris intentus es, in foueam præcipitatus, ab aniculis ridearis, id quod sapientissimo Thaleti accidit. Temerè faciunt, qui efficientibus causis repudiatis, in materiæ sordibus duntaxat hærent, nec satis prudenter, qui sideribus tantum inhærentes, inferiora planè cõtemnunt. Neque profecto parum interest, quo affectu matris gestetur in vtero, quo lacte alatur editus infans, cuius tenellum corpus leuissimis offensionibus grauissimè affligitur. Quam rem vt veluti digito demonstrem: Sebastianus Castalio vir eruditiss. obtulit mihi genesin filioli sui mortui in infantia, quæ genesis omnia loca aphetica salua habebat. Quod cum mirarer: ille mihi referebat, eam fuisse & suam & matris affectionem & valetudinem, propter aduersantis fortunæ procellas, vt nihil mirandum esset, partum alioqui vitalem, parum vixisse.

D. Quis igitur homini priuato è cognitione sui horoscopi fructus petendus est?

A. Hæc ex declaratione præceptorum, euidentiora erunt. Interim tamen hęc tenenda sunt.

I. Diligenter inquirendum esse, quibus artibus discendis homo sit idoneus, ad quos affectus siue bonos siue malos propédeat, in quibus actionibus Fortunam propitiam habeat aut infestam. Nam & quicquid inuita Minerua instituitur, parum prosperè succedere solet; & mali affectus diligenti institutione à primis annis domandi & reprimendi, boni autem alendi & prouehendi sunt. Hoc igitur parentum erit officium, qui profectò & sibiipsi & suis liberis & Reipublicæ male consulunt, si eum qui toto impetu ad militiam fertur, iurisconsultum aut sacrificulum fieri cogunt, & parum profecit Ouidij pater, cum filium ad poësin natū, vt quicquid dicere conabatur, versus esset: causidicum facere voluit. Nec tamen nego, prauis animorum inclinationibus diligēti institutione posse aliquo modo resisti. Notū est Lycurgi Lacedæmoniorū sapientissimi legislatoris solers in duobus canibus, qui parentibus iisdem nati, diuersissimi euaserunt, experimentum, altero ad venationem, altero ad ocium & delitias assuefacto.

II. Si corpus ad aliquos morbos est propensius, maturè semina illius morbi cauenda & tollenda sunt. Quæ iam medicorum prouincia est, qui si Astrologiam cum sua arte coniungerent: sępenumero profectò suo munere maiori cum laude & successu fungerentur.

III. Id vitæ genus amplectendum, eorum hominum consuetudo expetenda est, quo sidera te ducunt, contraria autem fugienda, quantum possis.

D Audio. Sed quid tibi videtur de Pici sententia, qui de propensionibus animi quenq; semetipsum: de temperamento corporis medicos: de successibus rerum aliarum, sensum communem, & ciuilem prudentiam consuli iubet?

A. Laudo, & ei parêre iubeo, non tamen propterea superuacanea existimanda est Astrologia.

D Faterer equidē solos astrologos verè esse prudentes habendos, si ea præstarent, quæ profitentur, hoc est, si certò prędicere possent, ea quæ ventura essent.

A. Et ego DEO simillimos eos iudicarem. Sed si verisimiles coniecturas afferant, repudiabis eos?

» D Non. Memini enim quid dudum de imbecillitate humani
» ingenij, & omnium rerū vanitate dixeris. Etsi animo meo
» nescio quomodo Erasmicum illud argumentum obuersa-
» tur, quo in Ecclesiaste Astrologiam, si non prorsus expu-
» gnauit, acerrimè saltem oppugnauit. Id est huiusmodi. Aut
» vera, inquit, prædicunt Astrologi, aut falsa, aut ambigua.

Si

Si ambigua: perinde est, ac si nihil prædicant. Sin falsa: contumelia est deludi mendacio: Sin vera, aut læta sunt quæ prædicunt, aut tristia. Si læta: solicitaberis spe, & quæ eueniunt, amiserint gratiam nouitatis: Sin tristia: miser eris ante tempus, & conduplicabitur malum. Frequenter enim metus est ipso malo grauior. Consequitur igitur inutilem esse futurorum præscientiam. „

A. Non ignorare te arbitror, illum excellenti ingenio & doctrina virum, non seriò, sed exercitationis causa illud argumentum tractasse. Nam eum Astrologiæ fidem non abrogasse, cum ex alijs eius scriptis apparet, tum ex illo, quod in calculi morbo Leonis astrologici vsu multum se adiutum esse ferè gloriatur. Sed ipsum argumentum videamus. Si ambigua sustuleris, magnam artium partem sustuleris. Si à falsitate abhorres, ab eo abhorres, quod est hominis penè proprium, falli, decipi, labi, errare. Ad Dilemma quod de veritate bonorum aut malorum impendentium, sequitur: supra & nos nonnihil respondimus, *viro sapienti maximè expetendum esse*, vt ne quid animo sit nouum, ne vel subita lætitia gestiat, vel inopinato metu cõsternetur, & veluti de gradu deiiciatur, sed potius in vtraq; fortuna excipienda, diligentem præparationem adhibeat: & is qui Astrologiæ vulnus hoc inflixit, idem etiam, vt Achillea hasta Telepho, medetur: cum alio loco hæc verba scribit: Vir pius qui verè sperat, hoc est, spem omnem fixit in Domino: plena fiducia totam solicitudinem coniicit in Deum: persuasus, siue læta obtigerint, siue tristia, siue mors, siue vita: omnia per Dei misericordiã cessura in bonum, inscrutabili sua sapientia sic temperantis res mortalium. „

D. An vero istud sine præscientia (si qua est) rerum futurarum fieri non potest?

A. *Potest: quis neget? Sed quis hoc etiam neget, humanum ingeniũ præscientiæ istius, qualis qualis est, esse auidissimum, & ea vnicè delectari?* eam porrò esse vtilem, etiam diuina oracula, quæ certè non *præteritarum*, sed futurarum rerum sunt, testantur. Et quis neget spem esse vtilem ad exhilarandum animum, ad excitandam diligentiam, ad ingenii neruos intendendos, ad præsentia mala æquiore animo perferenda? Metum verò ad reprimendam arrogantiam, securitatem, negligentiam, temeritatem?

D. Imo contrarium plerunq; fit, spes securos & arrogantes & temerarios facit, & sępè conatu nouatũ & illicitarum rerum in mala coniicit: metus contrà desperationem & ignauiam multis affert?

A. Qui iis ingeniis sunt, etiã sine Astrologia erũt tales, qui omnibus Naturæ & Fortunæ bonis abutantur. Iis profectò nihil præscire, nihil agere, semper fuerit optimum. Qui verò Astrologum consulit: non modò prædictiones eius, sed etiam consilia debet audire.

D.

D. Quid vero consulet Astrologus?

A. Quid vero aliud, nisi vt persuasum habeat,

I. Prædictiones non afferre mala aut bona, sed prænunciare. Euentura igitur illa esse, etsi nihil præscierit, & euentura esse ita, vt animũ magis perturbent.

II. Nec beatum, nec miserum ab omni parte esse quenq̃, & sortem diuinitus attributam, æquo & grato animo cuique ferendam esse.

III. Pietate, prudentia, diligentia, bona amplificari, mala mitigari posse. & hic præcipuus prædictionum fructus est. Neq; enim necessitatem ineuitabilem omnium euentuum cõstituimus. Neq; vt cuiuis homini moriendum esse tandem constat: ita etiam planè constat, hoc tempore, hoc genere mortis esse moriendum. Sic de aliarum quoq; rerum euentibus iudicandum est, & diligenter videndum, quantæ sint vires significationum.

D. Vnde id perspicitur?

I. A. Ex ipsius artis cognitione id intelliges. Interim meminisse te velim: Si multi fortes & boni radij in alicuius rei significatione concurrãt, & mali absint: euenturum esse boni aliquid etiam dormitanti. Contrà si malorum radiorum ea vis sit: parùm industriam in præcauendo valituram esse, nec vllum fore melius remedium, quam patientiam, quæ in re mala dimidium aufert mali.

II. Si mala testimonia cum bonis iungantur: considerandũ esse, vtra fortiora & plura sint. Nam ea plærunq; victoriam obtinebunt, nisi hominis industria repugnarit.

III. *Si bonæ & malæ significationes velut in æquilibrio quodã positæ fuerint:* sunt qui quicquam pronunciari nolint, idq; fortassis est tutissimum (in quæstionibus præsertim) sed idem etiam ignauissimum, & cuiusuis imperitissimi hominis, Mihi vero videtur pronunciandũ esse, aut mala esse iuncta bonis, aut ex interuallis inuicem consecutura, aut penes industriã liberi & cordati hominis fore victoriam. Nam stupidis & ignauis & temerarijs & pertinacibus hominibus, neque mortalium consilia, neque immortalium auxilia prodesse debent.

IIII. CVM semper, tum vero aduersis astris cauendum esse, ne quicquam tentes animi quædam petulantia & superbia, quod tui muneris non sit, quod cum religione, cum legibus, cum virtute, cum eius loci in quo degis consuetudine pugnet. Hæc enim fortunatum etiam hominem possint affligere, nedum infelicem: Contrà, maius esse adhibendum studium, pietatis, virtuti, omnis officij erga DEVM atque homines. Quo si nihil profecerimus: at culpa vacare magnum solatium fuerit.

Nam

Nam profecto fieri aliquando solet, vt cœlum & terra & quæ iis con- V.
tinentur, fato vrgente, aduersari videantur. Succurri posset valetudini
diæta & medicinis? salubri cibo & potu nulla ratione potiri licet, pro
medico veneficus offertur, pharmacopola opium pro apio miscet, Ami-
corum ope liceret vitare malum? at amici aut absunt, aut ipsi rerum sua-
rum satagunt, aut peruerso studio, dum iuuare conantur, lædunt, aut cum
fortuna mutant fidem. Liceret domi manendo euitare latrocinium, aut
naufragium? At vrget ineuitabilis necessitas, vt iter facias, & nauim con-
scendas. Inuidos & inimicos officijs placare, & beneficijs conciliare stu-
des? at illi modestiam tuam & benignitatem metum interpretantur, &
occasionem maledicendi & malefaciendi vrgent. Imo sæpissime accidit,
vt ea ipsa ratione, qua infortunium vitare studes, in infortunium incur-
ras. Aeschylo responsum erat, quodam die ruina periturum. Vir prudens
extra vrbē prodit, tecta omnia vitat. nihil periculi sibi esse à ruina putat, nisi
fortè cœlū ruat Sed quid fit? aquila testudinē in caluā eius deijcit, saxum for
tassis esse rata, oculorū acie (fatis ita volentibus) decepta, & virum egregium
occidit. *Stœflerus insignis mathematicus, qui certo die sibi itidem pericu-
lum è ruina imminere præuiderat: ædes suas satis esse firmas norat,* con-
uocat in Musæum suum viros eruditos, quorum consuetudine & sermoni-
bus recrearetur. orta inter sobria pocula disputatione haud scio qua de
re: ad controuersiam explicandam, è superiore loco librum depromit.
sed laxato clauo, asser in quo stabant libri, in caput eius decidit, & in-
signe vulnus infelici seni infligit. Huiusmodi exempla, si instituta bre-
uitas pateretur, innumera ex historiis depromere, & meos quosdam ca-
sus mirabiles recensere possem. Est certa quædam connexio, τῶν
πεπρωμενων καὶ συμπεπρωμενων quæ Cicero fatalia & confata-
lia dicere ausus est, & si quid fieri debet, ea vtique antecedunt, sine qui-
bus fieri non potest, vt si in fatis est, vt filium suscipias: vtique rem habe-
bis cum muliere. Haud ineptè nostri dicunt.
Es schikt sich vvol, vvas geschehen sol. VI.

Semper *esse cogitandum, prædictiones Astrologicas non esse di-
uina oracula, sed sagacis & eruditi ingenij coniecturas: quæ (vt morta-
litatis nostræ conditio, terrenarumque rerum Euripus fert) aliquando
frustrari possint.* Quis enim in tantis tenebris non interdum impin-
gat? quis in tot intricatissimi Labyrinthi anfractibus, non alicubi a-
berret?

D. Ne tu sapienter mones, & facis vt existimem, perpaucos Astrologia rectè vti. Sed explicari mihi breuiter velim, quæ sint istæ tenebræ, qui Labyrinthorum anfractus, idque paucis.

A. Faciam vt iubes.

Elegantis picturæ meminisse debemus, quæ ostendit Sphærā cœlestem I.
manu

manu protensa è nubibus teneri, hoc est, euentus diuinitus gubernari & mutari posse, quos sidera portendant. Illam vero disputationem, vtrum ea quæ diuinitus constituta sunt, præsciri, & quæ semel constituta sunt, mutari probabile sit: tractare non est huius loci.

II. In memoriam tibi redigam, eam quæ de stellis fixis & motu Solis, Mercurii & Martis non satis cognito, dixi.

III. Cum Chaldæorum & Aegyptiorum & Arabum ferè duntaxat præcepta habeamus: non mirum est, ea nostro horizonti non semper respondere, quũ tanta sint regionum interualla, & tot rerum inter nos & illos discrimina. Quod vt meo exemplo declarem, si meæ geneseos planetas ex præceptis Haly Abenregelis consideres: quem me esse statues, nisi militem ferocissimum & bellicosissimum? Ac fortasse talis euasissem, si apud Arabes, gentem latrociniis ferè deditam, educatus & institutus essem. Nunc in pacata prouincia, pacatis temporibus natus, & in eo vitæ genere educatus, quod cum armis nihil cõmune habet: is euasi quẽ vides, atq; vtinã plus neruorũ & animi & corporis haberem, nè quiuis quiduis in me impunè licere sibi putaret.

IIII. Ignota regnorum & ciuitatum initia, & incertum plærunque momentum editi infantis, & *mulierum adulteria multos errores pariunt. Nam de matre raro ambigitur: de patre sæpè non iniuria dubitatur.* Neque semper ex astris est, quod ex sapientibus stulti, ex paruis proceri, ex imbecillibus robusti, ex bonis mali nascuntur. Magnum vim habet in hoc genere Martis & Veneris coniunctio, hoc est, adulteri & adulteræ congressus.

V. Vniuersales siderum constitutiones, quas vulgo influentias vocant, vt turbæ religionis, bella, fames, pestilentia, naufragia, ruinæ &c. plus viriũ habent q̃ singulorum natiuitates. Ita publicorum malorum, & si per se satis fortunatus, expers nemo esse potest. Cum republica igitur ferè vel felices sumus vel infelices.

D. Si genituræ singulorum vniuersalibus casibus subiacent, à quibus nemo immunis est: quæ est illarum vel certitudo, *vel vtilitas?*

A. *Primum vniuersalia illa rariora sunt,* & ab arte minus curantur. Deinde vt effectus consequatur, consensus aliquis inter priuatam & publicam constitutionem requiritur, Neque enim sæpè fit, vt de toto exercitu nuncius cladis nullus supersit: vt totæ vrbes fame, peste, bello desolentur. aliquando etiam è naufragio vnus atq; alter euadit. Sunt & aliqui, turbata republica, feliciores q̃ tranquilla. Pericula vero hæc iis potissimum metuenda sunt, qui infirmas genituras habent, & vitæ cæterarumq; rerum significatores debiles, præsertim si eorum progressiones malis radiis aut finibus infestentur. Quibus consultum est, nulli periculoso negotio se committere, si sui iuris sint. Nam qui alienæ potestati subiacent, dimidium mentis, vt veteres dixêre, amiserunt, hoc est prudẽtia & consilio parum valent, non quod ingeniis destituantur, sed quod destinata exequi non licet. Miserrima igitur est eorum conditio, quos vel natura vel fortuna seruos fecit.

D. Assentior. Perge igitur vt cæpisti, reliquas errorum occasiones attexere?

A. Ma-

A. Magna controuersia est inter ipsos Astrologos, primum de constituen do themate natalitio. Deinde de stellarum quibusdam significationibus. Tertio de significatoribus eligendis, & aliis rebus compluribus. quæ controuersiæ nec diiudicari facilè possunt (cum vtrinq; sint pares ferè & rationes & autoritates) & ingentes tum varietates pariunt, tum errores non paucos. Quanquàm in his Astrologorum, vt & in aliarum disciplinarum controuersiis, eruditi & acuti ingenii censura multum valet.

Circunstantiis regionum, religionum, legum, morum, institutorum, parentum, commerciorum, educationis, temporum, locorum, decreta siderum sæpè variant & mutantur. Sed maximam vim habet libertas humanę voluntatis in rebus ciuilibus. Latißimè patet hic locus, & copiosißimè tractari posset, ac etiam deberet, nisi instituta breuitas prohiberet. Nunc ista singula tuæ prudentiæ consideranda relinquo, & declaranda ex lectione historiarum, & vite communis contemplatione.

Tanta rerum humanarum, actionum, artium, casuum est varietas, vt ad ipsum indiuiduum penetrare sit difficilimum, ac penè impoßibile. Generalia verò non satis explent desiderium & auiditatem hominis.
Non satis est ipsam genesim considerare, nisi reuolutiones annuæ, progreßiones generales, chronocratores & alia plura vsq; ad vitæ finē, quem certò prædici posse prudentiores vix putant, accuratè conficiantur, et cum genesi conferantur.

Vt in oraculis Apollinis, ita etiam in Astrologorum prædictionibus, error ex ambiguo verbo sæpè nascitur, vt cum Constantini Magni filio prædictum est, fore vt in sinu auiæ expiraret, quæ iam olim obierat. Is vero in oppidulo, quod Helena dicebatur, occisus est, & derisum astrologorum in admirationem cōuertit. Aliquando somnium pro re vera, vmbra & imago pro corpore significatur. vt venæ sectio cædi, somnus & ebrietas morti, lauatio submersioni in quæstionibus comparatur. ornantur aliqui per ludum aut ludibrium & contumeliam sceptro & diademate. Plurima sunt huius generis, quæ oscitantem & parum circumspectum Astrologum in errorem inducere, & vulgo *deridendum propinare possunt.*

Maximam autem omnium culpæ partem sustinet inscitia, temeritas & negligentia multorum (pauci autem sunt artifices) qui iudicandi autoritatem sibi arrogant, & plus arti suæ tribuunt, quàm est tribuendum. Vnde fit, vt ipsa Astrologia vulgò malè audiat, propter Astrologos, quemadmodum Theologia propter mores parum probatos Theologorum: & alioqui humanum ingenium est inuidum, & ad eas artes calumniandas, quas vulgus intelligere nequit, propensum.

D. Tu uerò quantum ei tribuendum censes?

A. Postq̄ tantam Astrologiæ cognitionem assecutus fueris, quanta homini contingere potest: postq̄ summa diligentia expenderis & inter se contuleris omnia: vt profitearis non aliud esse q̄ coniecturas, quæ & euentu sæpe comprobari, & aliquando etiam frustrari poßint.

D Si ita est, nunquid operæ precium erit, magnum ei studium impendere?

A. Nullius egregiæ artis (quid verò cœlestium motuum & effectuum cõtemplatione præstantius?) quantuũuis tenuis cognitio, non amplissimos fructus affert, & præclaré scripsit Isocrates, magnarum rerum vel mediocrem coniecturam, exquisitæ rerum minutarum scientiæ præstare. Sed non cuiuis homini contingit adire Corynthum. Ego certè huius tam sublimis scientiæ capessendæ nemini autor esse velim, nisi & à natura sit eius auidus, & ocio atq; ingenio abundet. Nam priusq̃ ad Astrologiam perueniatur: opus est cognitione arithmeticæ, geometriæ, astronomiæ, atq; in primis magna prudentia & cautione, vt taceam philosophiæ & medicinæ mediocrem peritiam, historiarum lectionem, vitæ communis considerationem, plurimum adiumenti ad prudenter iudicandum afferre.

D Ergo istarum rerum imperitus in Astrologia consequi nihil potest?

A Imò potest tantum, quantum ad mediocrem oblectationem animi, & ad generalia quædam attingenda satis est. Quæ vbi perceperis, & Astrologiæ suauitatem *primoribus saltem labris degustaris: vix temperare tibi poteris, quin longus progrediaris, & abstrusiora quæq; rimeris.*

D. Video id multis accidisse, qui in isto studio tanq̃ ad Sirenios scopulos consenuerunt. Noui etiam qui, ne idem sibi accideret, Astrologiã ne tentare quidem ausi fuerunt. Sed que sunt ista generalia?

A Horoscopum, seu thema natalicium constituere ex ephemeridibus & quid septem planetæ in quolibet signo, loco, aspectu, & id genus alijs rebus significent, è libris astrologicis requirere.

D. Qui extant Astrologiæ scriptores?

A. *Plurimi. sed Ptolomæus princeps habetur omnium. Schonerus ex omnium libris probatissima quæq; (vtinam iudicio maiore & ordine meliore congessit. Neq; mala est Alcabitij epitome. Ioannes verò Iouianus Pontanus vir doctissimus & eloquentissimus, artem genethliologicam ferè totam latino & eleganti orationis genere illustrauit, tribus de Fortuna libris perquam disertè vires & effectiones siderum declarauit.*

D. Credo equidẽ ita esse vt dicis, & vidi libros illos. Sed nescio quo pacto aliquid dilucidius & planius requiro. atq; utinam à te impetrari posset, vt breuem & expeditam viam nobis tironibus commonstrares?

A. Nætu equum sua sponte currentem incitas: Neque enim quicquam mihi optatius est, quam de mathematicis disciplinis benè mereri, & si vereor, ne mala gratia mihi referatur.

D. Cur vero? iniquissimus sit oportet, qui pro beneficio maleficium reposuerit.

A. Sunt profecto, multi iniquissimi homines, quorum calumnias & cauere difficile est, & curare stultum. Nam qui approbationem omnium expectare instituerit, is non alia conditione, quam ille apud Horatium.

Rusticus expectans dum defluat amnis : At ille
Labitur & labetur in omne volubilis æuum.

D. Quin tu ergo spretis calumniatoribus, nobis discendi cupidis gratum facis?

A. Dabo sane operam. sed meminisse te velim, compendia nunquã esse sine dispendijs. Neq; enim temerè scripsit idem Horatius. *Breuis esse laboro: obscurus fio.* Cæterum si quid in hac epitome desiderabitur : opere illo in quo quicquid ad hanc artem pertinet (si per fata licuerit) complecti statuimus explicabitur. Nunc rem ipsam Deo propitio aggrediamur.

FINIS.

DOCTRINA DE IVDITIIS NATIVITATVM, EA METHODO TRADITA, VT OMNIVM FERE THEMAtum, considerationibus accõmodari posit.

Autore Cypriano Leouitio à Leonitia.

Προλεγόμενα de gradu ascendentis vero, seu Rectificato.



DVæ sunt velut partes doctrinę Genethliacæ : quarum prior docet certam rationem ad singula momenta temporis *conformandi figuras cœli, quæ in. 12. spatia distinctæ totius cœli, & præcipuorum corporum cœlestium* situm infra supraq; terram, mutuum congressum ac προσχηματισμόν ob oculos velut in tabella ponunt.

Altera μαντικὴ seu diuinatrix, quæ ex cœli & syderum constitutione, motu, congressu & mutuis inter se configurationibus certos effectus & significationes de ingeniis, inclinationibus seu temperamentis, de valetudine corporum, de humorum redundantia aut defectu, & alijs multis euentibus & casibus ad valetudinem & rem familiarem tuẽdam vtiles & propè necessarias, prudenter eruit & ratiocinatur.

Hæc priori parti tanquã fundamento innititur. Non enim, nisi cognito cœli ac syderũ positu, iuditia Genethliaca certa constitui ac proferri possunt.

Hactenus autem hanc primam partem conformandi themata cœlestia, & ea quæ huic doctrinæ necessario coniuncta sunt, ita exemplis illustratam tradidimus, vt sperem ab eis, qui mediocriter exercitati sunt in numeris, sine vlla difficultate percipi posse.

Etsi autem quædam varietas opinionum est de ratione constituendi figuras cœli, quam in his elementis propter breuitatem disputare nolo, tamen non dubium est Regiomontani modum, quem nos vbiq; sequimur, eò quod ex sinuum doctrina extructus sit et Geometricis rationibus nitatur, plusq̃ reliquos omnes & certitudinis & doctrinæ habere. Et acquieuerunt in eo longo iam tempore acerrimi iuditij Astrologi. Preterea ita illustratus est tabulis ex ascensionum varietate compositis, vt mira facilitate inde omnium domorum initia per locum Solis desumantur. In quibus tabulis condendis non nihil etiam nostra profuit industria, qui eas ad scrupula quoque & à tricesimo septimo vsque in sexagesimum altitudinis poli gradum extendimus, vniuersæ Europæ & maximæ parti Asiæ profuturas.

Omnino igitur facile erit figurã cœli ad tempus oblatum constituere iuxta hanc rationem, quam supra capite. 20. docuimus.

Sed cum diligens consideratio natiuitatum omnino exactam & certã gradus ascendentis cognitionem requirat, & sæpe de hac prima & præcipua parte videlicet de momento quo infans ex vtero matris egressus est, dubitetur, præsertim vbi id non fuerit obseruatum instrumento aliquo Geometrico, sumpta interdiu altitudine Solis, vel noctu Stellæ alicuius. Nam horologia quia aut ab imperitis ac negligenter reguntur, aut casu cohibentur ac subsistunt interdum, sępissimè fallunt. Ideo multos etiã ex vetustissimis exercuit hęc cura, qua ratione q̃ proxime ad verum horoscopi gradũ perueniri posset

Tres autem præcipuæ rationes extant rectificandi seu corrigendi gradũ ascendentis. Prima quæ recitatur apud Ptolomæum, lib. 3. prædictionum Astrologicarum, per Animodar vt vocant, hoc est planetã qui in gradu coniunctionis vel oppositionis luminarium proximè natiuitatem antecedentis dominator, vel vt Ptolomæus loquitur οἰκοδεσπότης est.

Meminerunt huius rectificationis præter Ptolomæum plurimi alii Astrologi: Alcabitius diff. 4. Abrahamus Iudæus in principio libelli sui de natiuitatibus. Antonius de Montulmo & Schonerus. Ex peregrinis Messahala antiquissimus rerum Astrologicarum scriptor, Item Omar, Abenezra & alii.

Secunda ratio est Arabum, qui per conceptionem seu minuta moræ fœtus in vtero rectificant ascendentem gradum, qui modus vulgo appellatur trutina Hermetis, eò quod Hermes antiquissimus Astrologus hunc creditur tradidisse. Exponit eum copiose & diligenter Iouianus Pontanus in Commentariis LI. propositionis centiloquii, quod Ptolomæo adscribitur: Et Schonerus lib. 1. de iuditiis natiuitatum.

Has rationes si quis sequi velit, videat tamen ne nimium tribuat illis rectificationibus, quarum tempora nimis procul ab æstimato tempore recedunt, Sed in eo casu præferat certã obstetricũ relationẽ his correctionibus dubiis.

Vbi vero tempus ex obseruatione altitudinis Solis aut Stellæ alicuius per instrumenta Geometrica annotatũ est, nulla opus est deinceps correctione.

Tertia ratio fit per accidentia nati bona vel mala. Hanc experientia testatur esse certam & omnino est consentanea rationi. Ideoq; ego eam in rectificando semper sequor. Neq; tamen quenq̃ inuitum à Ptolomæi ratione abducere velim, præsertim cum sit facilior q̃ directionum doctrina. Sed per me liberum erit cuiuis & in hac parte & in sequentibus quoq; sequi q̃ velit viam. Me satis graues causæ commouerunt & coëgerunt, vt interdum à cõmuni

muni ratiõe recederẽ nõnihil, quas in opere nostro Astrologico exponemus

Tres autem sunt modi rectificandi gradum horoscopi per accidentia corporis bona vel mala.

1. Per directiones horoscopi ad suos promissores.
2. Per profectiones gradus horoscopi ad suos promissores.
3. Per transitus planetarum super gradum horoscopi.

Harum rationum commodissima & certissima est prima, quæ fit per directiones. Accidit autem sæpius, vt illæ tres viæ prorsus congruant & eundem horoscopi gradum producant, Idque omnium est certissimum examen, propter tot testimoniorum congruentiam & consensum.

Quod si discrepant inter se directiones, profectiones & transitus in graduũ numero, plus autoritatis & fidei debetur directionibus q̃ reliquis modis.

DE DIRECTIONIBVS GRADVS horoscopi ad suos promissores.

Examinaturus igitur gradum ascendentis per directiones habeas annotata ordine quàm plurima accidentia nati bona & aduersa, adiecto singulis tempore talis euentus, hoc est anno mense & si fieri potest etiam die. Et considera an circa id tempus horoscopus peruenerit ad aliquem promissorem qui significet tale accidens. Quod si sic inueneris se habere, tempus æstimatum erit omnino verum momentum æditi infantis.

Sin minus, hoc est si horoscopus per directiones ante vel post promissorem talem constiterit, tum æstimatũ tempus erit falsum, & hoc modo corrigendum. Ab ascensione obliqua promissoris ad latitudinem ciuitatis propositæ subtrahe tot gradus, quot anni completi sunt à tempore natiuitatis vsq; in diem accidentis, & pro quibuslibet sex diebus completis. 1. minut. subtrahe. Quod post subtractionem relinquitur, erit ascensio obliqua horoscopi vera, cui postea arcum Eclipticæ congruentem si extraxeris, habebis verum gradum ascendentis.

Obscuriora hæc videntur iis, qui doctrinam directionum non attigerũt, neque prolixiorem explicationem addemus hoc loco, cum hanc doctrinam antea copiosè explicauerimus in tabulis directionum Regiomontani, quas ante quinquenniũ ædidimus auctas, & exẽplis illustratas, eo modo, vt inde facile integrã directionũ doctrinam, qui velit, discere vel suo Marte possit.

Hoc tantum monebo in rectificatione per directiones, commodius esse, si quis quam plurima accidentia habere possit annorum ordine succedentium. Cum enim multi promissores sint, & benigni & maligni, sequitur etiam multa accidentia nato euenire, ratione eorum promissorum. Et quemadmodum significatorẽ directiones ad suos promissores pulchro ordine sibi succedunt, ratione propinquitatis aut distantiæ mutuæ: ita his ordine oportet responrere accidentia nati, pro qualitate tamen promissorum. Et hæc consideratio profecto iucundissima & liberali ingenio dignissima est.

DE PROFECTIONIBVS GRADVS Horoscopi ad suos promissores.

Dato tempore, hoc est anno, mense & die alicuius accidentis (nam hæc omnia hoc loco sunt necessaria magis q̃ in directionibus, quę tantũ generalia

tempora, hoc est annos & annorum quadrantes requirunt) considera an circa id tempus profectio gradus horoscopi ad promissorem, qui & accidenti conuenit, peruenerit.

Quod si eo ipso die eo peruenerit, tempus æstimatum verum est momentum natiuitatis factæ.

Si non peruenerit eo, falsum est tempus æstimatum, & corrigatur hoc modo. Numera dies, qui intermedij sunt, inter natiuitatis & accidentis diem eo anno quo contigit illud accidens. Et hos per. 6. multiplica, multiplicatos diuide per. 72. Et productum diuisionis ostendet gradus, residuum vero post diuisionem factam Minuta. Hi gradus & hæc minuta, si subtrahantur a loco promissoris, verum gradum & minutum horoscopi producunt.

DE TRANSITV PLANETARVM super gradum Ascendentis.

Dato eodem modo, vt supra, tempore alicuius accidentis in annis, mensibus & diebus. Vide in Ephemeridibus, vtrum eo ipse tempore planeta, cui *significatio talis accidentis competit, transeat gradum horoscopi, aut aliquo aspectu eum irradiet: Quod si fiet, gradum & minutum eius planetæ verum ascendens, natiuitatis esse scias.*

EXEMPLVM RECTIFICATIONIS GENITURæ prioris, quæ accidit Anno 1516. die Augusti 13. &c. cuius figuram æstimatam supra habes.

Hæc natiuitas propter euentuum & casuum nati nimis generalem annotationem non potest per profectiones aut transitus rectificari, sed tantũ per directiones, quia anni duntaxat mihi exhibiti sunt, non dies mensium. Porro ex directionum serie constat tempus æstimatum esse falsum, quia ordo directionum non respondet ordini accidentium nati, quod oportuit fieri, si tempus *æstimatum esset verum momentum natiuitatis. Id ex duobus sequentibus casibus liquido constabit.*

Volo dirigere gradum horoscopi ad quadratum Saturni sinistrum, qui incidit in G: 10. M. 56. Piscium.

Inquiro igitur ascensionem obliquam vtriusque loci: & horoscopi, qui significator est, & quadrati aspectus Saturni, qui est promissor.

		G	M
Ascensio	Significatoris est	339	25
obliqua	Promissoris est	351	7

Harum differentia est G: 11. M. 42. Ex qua apparet horoscopum peruenisse ad quadratum Saturni anno ætatis nati currente duodecimo, quo tempore debuit habere graue aliquod accidens Saturninum. Sed eo anno nihil tale sensit. Verum sequenti, qui fuit decimustertius ætatis annus, laborauit acerrimis doloribus dentium, adeo vt etiam quatuor dentes tum amiserit, quod accidens est Saturninum, siquidem Saturnus dentibus præest. Cum igitur anticiparit illa directio, nec ad eundem annum exactè congruat sequitur horoscopum falsum esse.

Alius

Alius eiusdem nati casus.

Volo dirigere eundem gradum horoscopi ad alium promissorem, videlicet ad corpus Lunæ, quod in radice occupat G: 14. minut. 29. Piscium.

					G	M
Ascensio obliqua	horoscopi	339	25	Cū latit. Merid.		
	Lunæ	358	32		3	51

Differentia ascensionum est graduum. 19. minut. 7. Ex qua apparet horoscopum pertigisse ad corpus Lunæ circa finem anni ætatis deciminoui, aut principum. 20. quo tempore debuit habere aliquod accidens Lunare. Sed circa illud tempus nihil aduersi sensit. Verum currente anno ætatis. 21. in colicam lætalem incidit, qua laborauit amplius. 4. menses. Hoc accidens fuit de natura Lunæ, vt notum est, nam crudorum humorum confluxus, item ventris solutiones ex stomachi imbecillitate à luna principaliter significantur. Ac quotiescunqne horoscopus ad lunare corpus peruenit, aut eius malignos radios, valde incommodat corpori.

Rursus igitur in hoc casu vides anticipare directionem, vnde hoc ipsum sequitur, *quod supra, videlicet horoscopi gradum esse falsum.* Eodem modo *ex reliquis directionibus huius genituræ cum casibus nati collatis*, semper deprehendi anticipationem, quas tamen hîc propter prolixitatem omitto.

Instituo ergo ex his directionibus artificiosam veri gradus ascendentis, rectificationem hoc pacto.

In primo accidente subtraho gradus. 12. minut. 33. (nam totidem ex doctrina directionum respondent annis nati, quo tempore habuit illud accidens, doloris dentium) ab antedicta ascensione obliqua Saturni sinistri, quæ fuit Graduum. 351. M. 7. Et relinquuntur gradus. 338. minut. 34. quæ est ascēsio obliqua veri horoscopi. Ei arcus Eclipticæ congruens est grad. 17. minut. 17. Aquarij. Et hic est verus gradus ascendens momento natiuitatis huius nati, Idq; probabitetiam alter casus directionis ad Lunæ corpus.

Subtraho igitur pro altero illo accidenre ascensionem obliquam veri gradus *horoscopi modo inuentam, ab ascensione obliqua corporis Lunaris,* adhibita *tamen eius latitudine, vt supra, & prodeunt grad.* 19. minut. 58. Ex quibus apparet natum habuisse *illud lunare accidens in fine ætatis suæ.* 20. aut principio. 21. currentis. Id quod verum est.

Vides quàm egregiè deprehenso vero ascendente per primum accidens nati, congruat postea annus etiam alteri accidenti. Atque non huic tantum sed & sequentibus annis singulorum accidentium exactè respondent suæ directiones, quarum aliquas ordine subijcimus.

Anno ætatis nati. 4. peruenit directio horoscopi in terminum Martis, ita vt hic planeta diuisor esset gradus ascendentis ac in reuolutione valde imbecillis extitit. Eo anno interno apostemate laborans natus, parum abfuit quin extinctus fuisset.

Anno ætatis sexto peruenit directio gradus horoscopi in terminum Saturni, Item directio Solis ad quadratum Saturni dextrum, Quo tempore strabus factus est ex imitatione ancillæ.

Ab eo statim tempore etiam cæpit ad aliquot sequentes annos vehementi, & continua scabie affligi.

Anno. 7. ætatis venit directio horoscopi ad oppositum Solis, qui in radice

ce *septimam domum occupat, videlicet locum inimicitiarum*. Ab eo anno vsque in nonum nouercali odio & inimicitiis vexatus est, cumq; ea directio deflecteret ad terminum Veneris, à mulieribus, quibus eius cura mandata erat hoc accidit. Ac durante ea directione sub termino Veneris, quæ in radice fuit domina loci mortis, & ibidem præsens, anno ætatis decimo, parum abfuit, quin pater natum & fratrem eius, casu, globo è bombarda eiaculato traiecisset. Nam Sol patrem significabat in radice. Eodem anno quoque maximum vlcus, idque conduplicatum habuit secundum genu sinistrum.

Anno ætatis. 13. venit directio horoscopi ad quadratum Saturni sinistrum, quo tempore amisit quatuor dentes, a c subinde dentium doloribus vehementissimis laborauit.

Anno ætatis. 18. currente fuit directio gradus horoscopi in termino Martis, quo tempore incidit in difficilem morbum, qui & ingenium & corporis vires mirificè afflixit & debilitauit.


Anno ætatis currente. 20. pertigit gradus horoscopi ad oppositum Mercurii, omissa eius latitudine, quo tempore propter morbum patris, & tandem obitum eius, *impedita & interrupta sunt studia nati. Nam Mercurius* in radice est dominus *quartæ domus, quæ* significat patrem. Cumque hæc directio sub termino Martis adhuc vigeret, parum abfuit quin à fratre globo è bombarda eiaculato casu, interficeretur, Ac paulo post rusticus quidam ferè sagittam in eum coniecisset, incendiarium ratus. Laborauit etiam circa illud tempus epatis dolore.

Anno ætatis currente. 21. venit directio horoscopi ad corpus Lunæ, adhibita latitudine eius, quo tempore incidit in colicam lętalem ex esu crudorum fructuum, qua laborauit amplius. 4. menses. Et postea anno sequente 22. ex potu frigidæ iterum in colicam priore longè vehementiorem incidit, eoq; malo ferè per. 5. menses est conflictatus, vbi ad hanc directionem quoque accessit directio horoscopi ad terminum Saturni.

Possem referre plures casus annorum sequentium, qui exactè responderent *suis directionibus, nisi vererer ne nimium excresceret hæc commemoratio.*

Infra tamen directiones omnium significatorum ad suos promissores ordine ponemus, ex quibus ratio singulorum accidentium, tam præteritorum quàm futurorum, bonorum & malorum, plenius desumi poterit. Nunc hoc loco satis esto nos aliquot duntaxat casus nati recensuisse, cum ex illis satis certò constet de vero puncto Ascendentes, quem hic insequenti figura cœlesti vna cum descriptione reliquarum domorum proponimus.

29. 52. 0. 0.
278. 34, 248. 34.



38. 34. 68. 34.
29. 52. 0. 0.

Latitudines planetarum ad tempus genituræ propositæ.


	G	M			G	M	
Saturnus	1.	34.	Septen. Deſcen.	Iuppiter	0.	22.	Septen. Aſcen:
Mars	2	19.	Merid. Aſcend.	Venus	0.	27.	Merid. Deſcē:
Mercurius	3	10.	Merid. Deſcen.	Luna	0.	52.	Meri. Deſcen.

Hæc figura cœli per accidentia rectificata oſtendit natum in lucem prodiiſſe anno Domini, 1516. Die. 13. Auguſti, Horis á merid. 6. minut: 26. Hinc differentiæ æſtimati & veri temporis conſurgit minut: 4. é quibus apparet quod natiuitas vera totidem minutis præceſſerit æſtimatam.

ALIVD Exemplum rectificationis.

Eſtq; genitura inter ſuperiores ſecunda, facta anno Domini, 1517. Die, 28. Martii. &c.

AEstimatum tempus huius natiuitatis falsum esse inde colligitur, quia directiones, præsertim horoscopi, non exactè congruunt cũ temporibus euentuum & casuum nati, quod demonstrarem ex calculo ipso, vt in superiori genitura feci, nisi institutæ breuitatis rationem haberem Rectificaui autem illam per varios casus mihi exhibitos, ex quibus deprehendo in horoscopo ascendere gradum.15.minut.16. Capricorni Sed subiicio integrum thema rectificatum.



Latitudines planetarum ad tempus geniturae propositæ.

	G	M			G	M	
Saturnus	2.	2.	Merid. Ascend.	Iupiter	0.	23'	Merid. Ascend.
Mars	0.	32.	Septen. Descẽ.	Venus	0.	55.	Merid. Ascend.
Mercurius	2.	45.	Merid. Ascend.	Luna	4.	42.	Septen. Ascẽd.

Natus est ergo Anno.1527.die.28.Martij, Horis à meridie.13. minut. 51.

Diffe-

Differentia æstimati & veri temporis est minutorum 9. quod interuallum quò minus ab æstimato tempore recedit, tanto certius est. Antecedit autem te[illegible]dem minutis vera natiuitas æstimatam, vt plerumq; fieri solet, ob tardiorem obstetricum relationem.

Porrò quod hæc figura sit verissima ex sequentibus casibus, qui suis directionibus & profectionibus, item transitibus exactè respondent, liquidò constat.

Circiter annum ætatis secundum, hic natus fuit in periculo mortis, propter aduersam valetudinem, quo tempore directio partis fortunæ ad corpus Martis peruenit.

Paulo post applicuit Sol corpori Saturni, & hanc directionem breui subsecuta est directio gradus horoscopi ad terminum Saturni. Ideo in puentia variis morbis, scabie, variolis & similibus est infestatus.

Anno ætatis currente 24. peruenit directio gradus horoscopi ad trigonũ Iouis dextrum adhibita eius latitudine, Eo tempore creuit hæreditate parentũ. *Nã Iupiter promissor huius directionis in radice fuit domin⁹ secũdæ*

Postea eodem anno lucratus est sorte aureos carolinos 20. sibi hæredibus que suis annuatim soluendos, quo tempore etiam gradus horoscopi ad sextilem Solis dextrum pertigit.

Anno domini 1552. qui fuit 26. ætatis nati, die 2. Aprilis, à familiari & domestico sodali irritatus, cum res à verbis ad verbera peruenisset, in fronte læsus est ictu, quo tempore profectio Iouis peruenit ad quadratum Solis sinistrum. Eodem anno currente die 21. Septembris grauiter ob sumptam medicinam decubuit, quo tempore profectio Martis ad quadratum Saturni perducta est.

Neutrum accidens horum significare poterit horoscopus, cum eius directio tunc sub nullo maligno promissore fuerit, sed ex aliorum significatorũ directione ista pendent, quod infra accuratius inuestigabimus, vbi omniũ locorum directiones ordine ponemus.

Anno domini 1553. qui fuit ætatis nati annus 27. currens, die 11. Aprilis in Galliis coniectus fuit natus in arrestum magno cum periculo, quo tempore profectio gradus horoscopi venit ad quadratum Iouis dextrum, qui in radice est dominus duodecimæ domus significantis captiuitates &c.

Ex hoc casu instituam rectificationem gradus ascendentis iuxta profectiones hoc pacto.

I Numero dies intermedios inter diem natalem & diem huius accidentis, qui omnino sunt 14.

II Hos dies multiplico per 6. prodeunt 84. sextæ dierum.

III Diuido deinde has sextas per 73. ac prodeunt gradus 1. minut: 11. quæ si subtrahantur loco quadrati aspectus dextri Iouis promissoris hoc est à 16. gradu 48. minut: prodit 15. grad. 37. minut: Capricorni, verum nati uitatis ascendens. Eundum prorsus gradum, sed sedecimũ minutũ directiones produxerunt. Differentia est admodũ exigua, ac satis est quod tã exactè in gradibus cõgruunt, plus tamen autoritatis tribuendum est directionibus, sicut supra monui.

Eodem anno domini & ætatis nati, vehementissima febri correptus est, & extremè debilitatus, quo tempore fuit profectio Veneris ac Saturni ad

ad caudam Draconis. Postea die 4. Augusti in aliam febrim, sed priore tollerabiliorem incidit quo tempore Mars, per quadratum horoscopi, transitum faciebat. Vtriusque autem casus & huius & superioris causa simul fuit directio gradus horoscopi ad terminum Martis, cum qua tamen aliorum significatorum directiones coincidere potuerunt, quas infra recitabimus.

Item eodem anno die. 6. Nouembris vxorem duxit, quo tempore directio gradus horoscopi ad sextilem Veneris dextrum peruenit, ac profectio Lunæ ad sextilem Mercurii sinistrum.

Hoc exemplum vtroq; modo & per directiones & per profectiones rectificauimus, ac uides vtramq; viam in eodem prorsus gradu congruere, idque maioris certitudinis euidens argumentum est. Ac in eadem hac genitura habes etiam exemplum de transitu, nempe de Anno 1553. die 4. Augusti. Nec opus esse arbitror prolixius pro ea ratione rectificandi monere, *cum res per se omnino sit facilis.*

DE FORTITVDINE ET DEBILITATE PLANETARUM.

Ad modum necessaria & vtilis est in tota iudiciorum doctrina hæc admonitio de planetarum fortitudine, hoc est in quibus cœli locis & quomodo constituti suos naturales effectus vehementius exerant, & rursus quando & vbi sint imbecilliores. Quotiescunq; enim aliquid de nati conditionibus vtpote de vita, dignitate, coniugio aut similibus pronunciandum est, inspiciendi sunt certi loci, quos visitate appellamus significatores ac iuxta eorum constitutionem, mutuam conuenientiam in eiusdem euetus significatione, naturam positum in mundo & in themate, motum & cum aliis benignis vel *malignis stellis congressum & configurationem, iudicia de proposita quæstione sunt ferenda. Hæc considerantur primò in planetis, deinde in parte fortunæ postremo etiam in locis seu domibus figuræ cœlestis.*

In planetis præcipuè sunt expendenda sex accidentia.

1 An planeta sit combustus nec ne.

2 An sit directus & velox vel retrogradus aut tardus.

3 An sit orientalis vt occidentalis.

4 An sit in aliqua suarum dignitatum essentialiũ vel peregrinus, cadens aut in detrimento suo.

5 An sit beneficis planetis benigno aspectu configuratus, aut malefici, inimico.

Quomodo sit constitutus in figura natiuitatis, nisi in angulo succedente vel cadente ab angulis domo.

Hæc planetarum accidentia propter testimoniorum collectionem commodius numeris distinguntur hoc modo.

FORTI

FORTITVDINES.		DEBILITATES.	
Liber à combustione & radiis solis	5	Combustus	5
In Cazimi hoc est corde Solis, cum eius lõgitudo vltra. 16. min. à Sole non distat, de quo cap. 5. supra	5	Sub radiis	4
Directus 4. Hoc in Luna non considératur.		Retrogradus Hoc in Luna nõ consideratur.	5
Orientalis è tribus superioribus	2	Occident. è trib. superiorib.	2
Occidentalis è duobus inferioribus	2	Oriental. è duobus inferiorib.	2
Luna aucta lumine, qđ fit à ☌ in ☍	2	Luna diminuta Lumine quod ab ☍ in ☌ fit	2
(Hæc in Sole nõ considerantur)			
In domicilio, aut receptione mutua ex domiciliis.	5	In detrimento	5
Velox cursu	2	Tardus	2
In exaltatione sua vel receptione mutua ex exaltationibus.	4	*In casu*	4
In triplicitate sua	3	Peregrinus	5
In termino	2		
In facie	1		
In Medio cœli vel ascendente	5		
In domo Septima, quarta & vndecima	4	In domo 12	5
		In domo 8	4
		In domo 6	4
In domo secunda, quinta	3		
In domo nona	2		
In domo tertia	1		
Partilis ☌ aut (♃ ♀)	5	Partilis ☌ *vel* (♄ ♂)	5
His ãnumera ☊	3	His annumera ☋	3
Partilis △ vel (♃ ♀)	4	Partilis ☍ aut (♄ ♂)	4
Partilis ⚹ aut (♃ ♀)	3	Partilis △ aut (♄ ♂)	3
Coniunct. cum Regulo *intra distantiam 5. grad. ante vel post*	6	Coniunct. cũ capite Algol	4
Coniunct. cum Spica Virginis *intra distantiam 5. grad. ante vel post*	5		

Examinaturus itaque planetæ alicuius fortitudinem aut debilitatem, collige eius accidentia secundum hos numeros, vtra vicerint testimoniorum numero, ab iis planeta vel fortis vel debilis censebitur. Cum fortitudines & debilitates pares fuerint numero testimoniorum, mediocris planeta dicetur. Ac quo maior testimoniorum seu commodorum numerus fuerit, eo fortior planeta iudicabitur & contrà.

TABVLAE quinque Essentialium dignitatum Planetarum.

Fortitudines essentiales																									Debilitates essentiales.	
	5		4	3			2											1						Cum locus planetæ in nulla harum dignitatum fuerit. Peregrinus dicitur.		
Signa Zodiaci	Domus planetarum in signifero		Exaltatio	Triplicitates planetarum secundu. Ptolomæum			Termini siue fines Planetarum in signifero inditione Ptolomæi Ægyptiaci appellati.											Facies planetarum							Detrimentum	Casus planete.
				D	N	P	G		G		G		G		G		G		G		G		G			
♈	♂	d	☉	☉	♃	♂	0	♃	6	♀	12	☿	20	♂	25	♄	30	0	♂	10	☉	20	♀	30	♀	♄
♉	♀	d	☽	☽	♀	♄	0	♀	8	☿	14	♃	22	♄	27	♂	30	0	☿	10	☽	20	♄	30	♂	
♊	☿	d	☊	♄	☿	♃	0	☿	6	♃	12	♀	17	♂	24	♄	30	0	♃	10	♂	20	☉	30	♃	
♋	☽	dn	♃	♂	♂	☽ ♀	0	♂	7	♀	13	☿	19	♃	26	♄	30	0	♀	10	☿	20	☽	30	♄	♂
♌	☉	dn		☉	♃	♂	0	♃	6	♀	11	♄	18	☿	24	♂	30	0	♄	10	♃	20	♂	30	♄	
♍	☿	n	☿	☽	♀	♄	0	☿	7	♀	17	♃	21	♃	28	♄	30	0	☉	10	♀	20	☿	30	♃	♀
♎	♀	d	♄	♄	☿	♃	0	♄	6	☿	14	♃	21	♀	28	♂	30	0	☽	10	♄	20	♃	30	♂	☉
♏	♂	n		♂	♂	☽ ♀	0	♂	7	♀	11	☿	19	♂	24	♄	30	0	♂	10	☉	20	♀	30	♀	☽
♐	♃	d	☋	☉	♃	♂	0	♃	12	♀	17	☿	21	♄	26	♂	30	0	☿	10	☽	20	♄	30	☿	
♑	♄	n	♂	☽	♀	♄	0	☿	7	♃	14	♀	22	♄	26	♂	30	0	♃	10	♂	20	☉	30	☽	♃
♒	♄	d		♄	☿	♃	0	☿	7	♀	13	♃	20	♂	25	♄	30	0	♀	10	☿	20	☽	30	☉	
♓	♃	n	♀	♂	♂	☽ ♀	0	♀	12	♃	16	☿	19	♂	28	♄	30	0	♄	10	♃	20	♂	30	☿	☿

Hæc tabula etiam in aliorum libris circumfertur, sed errorem habet in triplicitatis aqueæ distinctione. quem ex Ptolomæi doctrina sic restituimus. Mars tam in diurna q̄ nocturna natiuitate, triplicitatem habet in Cancro, Scorpione, Piscibus. Participes sunt Venus in diurna: Luna vero in nocturna genitura, quod hic obiter monere volui.

EXEMPLVM PRIMAE GENITVRAE
quæ accidit anno domini. 1516. &c.

☉	fortitudines ratione	Domicilii sui	5	Summa testimoniorum collectorum 12.
		Triplicitatis	3	
		Anguli occidentis	4	
	debilitates ratione	Tardi motus	2	

Cum igitur testimonia fortitudinis longè superent numero debilitates, Sol hic fortis ac fortunatus iudicari posset. Sed quia omnino in extremitate signi Leonis collocatur, qui positus multum dignitatis & fortitudinis ei detrahit, fit vt censeam eum ferè tantum mediocriter positum. Nam extremi gradus signorum valde imbecilles sunt, ac virtutem suam plerunque ad signa proxima transferunt, quod diligenter obseruandum est.

☽	fortitudines ratione	Libertatis à combustione Solis	5	summa test. 10.
		Anguli ascendentis	5	
	debilitates ratione	Peregrinitatis	5	summa debilitatum 12.
		Tardi motus	2	
		diminuti luminis	2	
		Aspectus □ ♄ partilis	3	

Luna igitur in hac natiuitate debilis est. Quæ vero debilitant, eadem etiam infortunant.

♄	fortitudines ratione	Libertatis à combustione ac Solis radiis.	5	summa fortitud. 21
		Anguli medii cœli	5	
		Directi motus	4	
		Trigoni sinistri ♃ partilis	4	
		✶ ♀ sinistri partilis	3	
	debilitates ratione	Peregrinitatis	5	summa debilitat. 9.
		Tardi motus	2	
		Occidentalitatis à Sole	2	

Ergo Saturnus in hac figura cœlesti est fortis. Vincunt enim testimonia fortitudinum, numerum debilitatum medietate & amplius.

♃	fortitudines ratione	Libertatis à combustione & radiis Solaribus	5	summa. 13.
		Directi motus	4	
		Velocis cursus	2	
		Orientalitatis	2	
	debilitates ratione	Peregrinitatis	5	12.
		Sextæ domus	4	
		□ ♂ sinistri & partili	3	

Iupiter

Iupiter ergo in hoc themate, cum testimonia fortitudinum & debilitatum ferè paria sint numero, mediocris quasi conditionis est, ita tamen vt magis ad fortitudinem eclinet cum natura eius etiam sit benefica.

♂	fortitudines ratione	Libertatis à combustione & radiis Solaribus	5	14
		Directi motus	4	
		Orientalitatis	2	
		Secundæ domus	3	
	debilitates ratione	Tardi motus	2	16
		Detrimenti sui	5	
		Petegrinitatis	5	
		☌ cum capite Algol	4	

Mars itaq; in hac figura debilis & infortunatus est propter testimoniorum, quæ debilitatem eius arguũt excessum.

♀	fortitudines ratione	Domicilii sui	5	24
		Libertatis à combustione & radiis Solis	5	
		Directi motus	4	
		Occidentalitatis ad Solem	2	
		✱♃ sinistri partilis	3	
		☌ cum spica ♍	5	
	debilitates ratione	Tardi motus	2	6
		Situs in octaua modo	4	

Venus itaq; fortis & fortunata est in hac genesi.

☿	fortitudines ratione	Domicilii sui	5	25
		Exaltationis suæ	4	
		Faciei	1	
		Libertatis à combostione & radiis Solis	5	
		Directi motus	4	
		Occidentalitatis ad Solem	2	
		Anguli occidentis	4	
	debilitates ratione	Tardi motus	2	

Mercurius itaq; in hoc themate insigniter fortis ac fortunatus est:

Ex hac enumeratione facile apparet qui planetæ sint in hoc schemate fortes· qui debiles. Sed libet nunc eosdem omnes inter se conferre iuxta fortitudinum ac debilitatum numerum, vt appareat inde, quo pacto alter alteri in fortitudine ac dignitate succedat.

Mercurius omnium planetarum hic fortissimus est, cuius testimonia debilitatis si subtrahantur á eumero fortitudinum, restant 23, quod præterea nulli planetæ accidit.

Venus proxima Mescurio fortitudie, retinet 18. testimonia.

Solẽ Veneri statim subiicerem, nisi eius fortitudines sumptæ essẽt ex postremo gradu signi. Itaq; Saturnũ ei præpono, qui 12. testimonia fortitudnis

retinet

retinet subtractis debilitatum testimonijs.

Iupiter Solem sequitur, & mediocris est, cum eius fortitudines & debilitates ferè pares sint numero.

Luna Ioui succedit, sed debilis est.

Mars omnium planetarum debilissimus est in hac genitura, Ideo postremum locum inter planetas hic obtinet.

EXEMPLVM SECVNDÆ genituræ.

quæ accidit anno Domini. 1527. &c.

☉	fortitudines ratione	Exaltationis suæ	4	summa 14
		Faciei suæ	1	
		Situs in tertia domo	1	
		☌ cum ♀	5	
		✶ dextri ♃	3	
	debilitates ratione	Tardi motus	2	7
		☌ cum ♄	5	

Sol igitur in hoc themate fortis est & fortunatus. Ac Saturni coniunctio propter Venerem intercedentem vtrique minus potest quam aliàs. Venus enim interposita quasi prohibet, quo minus Sol Saturno iungatur. Et tamen valet coniunctio Saturni.

☽	fortitudines ratione	Participationis in triplicitate	3	8
		Velocis cursus	2	
		Situs in. 2. domo	3	
	debilitates ratione	Luminis diminuti	2	5
		□♂ partilis sinistri	3	
♄	fortitudines ratione	☌ cum ♀	5	15
		✶ ♃ dextri & partilis	3	
		Directi motus	4	
		Veloci cursus	2	
		Situs in tertia domo	1	
	debilitates ratione	Peregrinitatis	5	16
		Casus sui	4	
		Combustionis à Sole	5	
		Occidentalitatis	2	
♃	fortitudines ratione	Receptionis mutuæ cum ☿ ex domicilio	5	22
		Participationis in triplicitate	3	
		Libertatis à combustione & radiis ☉	5	
		Directi motus	4	
		Velocis cursus	2	
		✶ ♀ sinistri	3	
	debilitates ratione	Detrimenti sui	5	11
		Situs in sexta domo	4	
		Occidentalitatis	2	
♂	fortitudines ratione	Participationis in triplicitate	3	18
		Libertatis à combustione & radiis Solis	5	
		Orientalitatis	2	
		Directi motus	4	
		Situs in vndecima domo	4	
	debilitates ratione	Tardi cursus	2	

Mars itaque in hac genesi fortis est, Sed cum quadam violentia, eo quod iungitur cordi Scorpii.

♀	fortitudines ratione	Directi motus	4	13
		Velocis cursus	2	
		Faciei	1	
		Occidentalitatis	2	
		Situs in. 3. domo	1	
		⚹ ♃ dextri & partilis	3	
	debilitates ratione	combustionis	5	15
		detrimenti sui	5	
		☌ cum ♄	5	

☿	fortitudines ratione	Receptiõis mutuę à ♃ ex domicilio	5	19
		Libertati; à cõbustione & radiis ☉	5	
		Directi motus	4	
		Veloci; cursus	2	
		Situs in. 2. domo	3	
	debilitates ratione	Detrimenti sui	5	16
		Casus sui	4	
		Peregrinitatis	5	
		Orientalitatis	2	

Mercurius etsi plura habeat testimonia fortitudinis quam debilitatis tamen quia constitutus est in fine signi, à quo eius præcipua testimonia fortitudinis desumpta sunt, fit ut mediocriter tantum positus censeatur, Siquid enim extremitates signorum, vt supra etiam monui, valde imbecilles sunt ac vires suas commiscent cum sequenti signo. Itaq; si ad illud referatur Mercurius, prorsus nullas ibi habebit dignitates, neq; poterit esse receptio cũ Ioue mutua

ORDO PLANETARVM RATIONE fortitudinis & debilitatis.

Mars omnium fortissimus est in toto themate, retinens 16. testimonia fortitudinis, de tractis debilitatibus.

Sol martem subsequitur, & testimonia retinet 7.

Iuppiter quamuis Soli anteferendus esset ob numerum testimoniorum, tamen quia eius receptio cũ Mercurio, ob quã plurima, testimonia fotitudinis consequebatur, fit ex detrimento: eam ab causam cedit Soli. Nam receptiones planetarum quæ ex detrimentis vel casibus fiunt, etsi vires habeant, tamen minus possunt, & instabiles effectus decernunt.

Luna postremas tenet in fortitudinum consideratione, retinens 3. testimonia, fortior quam debilior.

Mercurius mediocris est vt supra ostendi.

Saturnus debilis.

Venus inter omnes maxime debilis.

Hactenus de planetarum fortitudine & debilitate.

DE FORTITVDINE AC DEBILITATE partis fortunæ.

Partem

Partem fortunæ Ptolomæus non minus quam planetam aliquē considerat hoc tamen obseruando, quod ei non tribuuntur aspectus, nisi quatenus à planetis aspicitur, quia est tantum locus celi in quo Solis & Lunæ radii concurrunt. Eius fortitudines & debilitates quoq; diligenter examinandæ sunt, quæ sumuntur primum à signis, in quibus constituitur. Deinde ab aspectibus planetarum. Tertio à loco figuræ cœlestis. Quarto à stellis fixis regijs &c. Distinguuntur autem numeris suis hoc pacto.

Pars fortunæ fortis & fortunata est in

- Signo
  - ♉ vel ♓ — 5
  - ♎ ♐ o.l ♋ — 4
  - ♊ — 3
  - in finibus ♃ vel ♀ — 2
  - ♍ — 2
- Aspectu
  - ☌ (♃ ♀) — 5
  - △ (☊ ♃ ♀) — 3
  - ✶ (♃ ♀) — 3
- domo
  - I. vel. X. — 5
  - VII. vel. IIII. XI. — 4
  - II. vel. V. — 3
  - IX. — 2
  - III. — 2
- Cū stella fixa ☌
  - Regulo — 6
  - Spica ♍ — 5
- *Nō cōbusta, neq; sub radiis solis* — 5

Pars fortunæ debilis & infortunata est in

- Signo
  - ♏ — 5
  - ♑ — 5
  - ♒ — 5
  - ♈ nec dat nec admit[tit]
- Aspectu
  - ☌ (♄ ♂) — 5
  - ☋ — 3
  - ☍ (♄ ♂) — 4, 4
  - □ (♄ ♂) — 3, 3
- In finibus ♄ vel ♂ — 2
- In domo (duodecima — 5; octaua — 4; sexta — 4)
- Cum capite Algol — 4
- Combusta — 5
- Sub radiis — 4

Eadem prorsus ratione fortitudines ac debilitates singularū domorū cœlestiū examinandæ sunt, vt partis fortunæ. Hoc tantum obseruandum est, simul etiam in iuditium adhiberi oportere signa in domibus intercepta. Reliqua omnia sunt facilia, neq; opus est prolixiore explicatione.

DE VITAE SPATIO

Hæc consideratio de vitæ spatio prima esse solet. Ridiculum enim foret asseuerare aliquid de diuitiis, coniugio, liberis vel honoribus nati, qui non perue nturus sit ad ætatem congruentem illis actionibus.

Diuersæ autem & discrepantes opiniones sunt Astrologorum de hac consideratione, vtpote ardua, difficili ac non temere facienda. Arabes vita spatium eliciunt ex Alcocodæo, hoc est dispositore loci hylech. Ptolomæus ex directione hylech ad loca interficiētia, Ego sēper ferè soleo gradū horoscopi

 dirigere,

dirigere secundũ signorum ac graduum ordinem, ad loca interficientia, hoc est, ad planetas malignos, vel eorũ hostiles radios. Neq; vero tantũ malignorũ, sed etiã cuiusuis alterius planetæ *radius inimicus interficit modo occursus eius directionis in termino eius planetæ contingat, qui in radice significationẽ mortis habet. Significationẽ mortis autẽ is planeta habere dicitur:

1 Qui octauam domum possidet, aut eidem domui imperat.

2 Qui gubernatori octauæ domus iungitur.

3 Qui locũ planetæ octauã domũ possidentis, aut eidẽ dominantis disponit.

Sed ex his primus validior est: reliqui duo imbecilliores esse iudicantur.

Soleo præterea pro annis fatalibus ascendens dirigere, non tantum ad corpora planetarum nocuorum aut eorum inimicos aspectus, & quæ his accedunt verum etiam ad alia loca interficientia, hoc est, ad terminos maleficorum planetarum, vel eorum, qui in octaua domo versãtur, aut eidẽ imperãt.

Cum igitur id euenerit, vt horoscopus ad aliquem dictorum locorum, qui interficiunt per directiones certo quopiam anno deuoluatur, fatalis erit annus ille nato. Hinc sequitur posse plurimos annos esse fatales, siquidem horoscopus ad plurima loca interficientia peruenire potest, quorum annorum ille tamen maxime *periculosus censeri debet, qui pendet á promissore in reuolutione cognationem cum domo mortis, aut domino eius habente,* quod tribus illis rationibus, quas modo exposuimus, deprehendi potest.

* ♄ dexter et △♂ sinister in signis longarũ ascẽsionũ æquiparantur malignis aspectibus. Sic ☌☉ & ☽ etiã habet vim interficiendi. Itẽ antiscia malignorum planetarũ & cor Leonis.

Quomodo autem directionum calculus, & ratio institui debeat, ea doctrina prolixior & operosior est, quàm vt hoc loco doceri possit. Descripsimus eam copiose & diligenter in tabulis directionum Regiomontani, eo lectorem studiosum remittimus.

DE NATIS QVI NVTRIRI NON possunt, sed mox extinguuntur.

Quando directio horoscopi tempore æditi infantis est in termino malefici planetæ, aut in termino domini mortis (ita tamen vt ille sit in figura natiuitatis debilis:) aut sub maligno aspectu planetæ, qui vim interficiendi & *cognationem cum domo mortis habet, natus non nutrietur,* huius obseruationis plurima exempla habeo.

Quæ vero de vitæ spatio & numero annorum nati considerationes sumũtur ex positu corporum cœlestium, & si multorum risu ac cachinnis excipiantur, plærique etiam de ea re prædictiones fieri posse negent: tamen veterem hanc esse doctrinam ex Ptolomæo, & aliis multo antiquioribus scriptoribus apparet, & experientiam respondere, si quis eam recte ad vsum accommodet, multorum exẽplis veteris & nostræ ætatis constat. Proinde nos arte & experientia contenti, nihil moramur istorum præpostera iuditia.

EXEMPLVM PRIMÆ geniture quæ accidit anno domini 1516. &c.

In hac genesi plurima loca interficientia, & ex iis anni fatales reperiuntur per directiones, quorum pars iam effluxit. Hos de industria omitto, cũ nihil amplius valeant, enumeraturus eos qui adhuc restant.

Anno igitur ætatis nati currente 45. perueniet directio gradus horoscopi ad corpus Martis, omissa eius latitudine. Sed adhibita latitudine, pertinget eò circa finem anni 48. vel principium 49. ætatis.

Anno

Anno ætatis nati currente. 50. perueniet directio gradus *horoscopi in terminum* Saturni.

Anno ætatis currente 53. fere circa finem pertinget directio gradus horoscopi ad terminum Martis.

Anno. 5 .ætatis currente perueniet directio gradus horoscopi ad quadratum Solis dextrum,& continget occursus huius directionis in termino Martis, vnde malum conduplicari quasi videtur.

Circa finem anni ætatis. 63. aut principium. 64. pertingit directio gradus horoscopi ad oppositionem Saturni, omissa eius latitudine, Sed adhibita latitudine, perueniet eó anno ætatis currente 66. quo tempore etiam directio horoscopi accedet ad terminum Veneris, quæ in radice domum mortis occupat, vnde & in hac directione periculum conduplicatur.

Hi sunt anni fatales adhuc restantes nato. Quis autem eorum omnium periculosissimus sit futurus. reuolutiones adhibitæ ostendent. In qua enim reuolutione promissor directionis cognationem habuerit cum domo mortis aut domino eius, ille annus maxime erit vitæ nati infestus. Quod si in duabus vel pluribus reuolutionibus cognationē talē habuerit, cū dictis locis, ille promissor erit *minatior, qui potiora & plura testimonia sibi vendicauerit.*

EXEMPLVM SECVNDAE GENITVRAE quæ accidit anno domini. 1527. &c.

Et in hac genitura omittimus præteritos annos fatales, enumerantes tātum adhuc venturos.

Anno ætatis currente. xxxv. pertinget directio gradus horoscopi ad quadratum Martis sinistrum.

Circa principium anni ætatis currentis 37. perueniet directio gradus horoscopi ad corpus Lunæ, omissa eius latitudine. Sed adhibita latitudine, pertingit eó anno ætatis curente. 30.

Anno ætatis currente 40. perueniet directio gradus horoscopi ad quadratum Iouis dextrum. *Huius directionis occursus fiet etiam in termino Mercurii, qui in radice est dominus octauæ. Vnde geminum malum impēdebit.*

Anno ætatis currente 42. perueniet directio gradus horoscopi ad terminum Martis.

Anno ætatis currente 46. pertinget directio gradus horoscopi ad corpus Mercurii, domini octauæ domus, omissa eius latitudine, Huius directionis concursus continget etiam in termino Saturni, vnde periculum vitæ augetur, Sed adhibita eius latitudine, veniet eó anno ætatis currente 50.

Circa finem anni ætatis currentis. 52. perueniet directio gradus horoscopi ad terminum Mercurii, qui est in radice dominus octauæ.

Anno ætatis currente. lv. pertinget directio gradus horoscopi ad corpus Solis. Huius directionis concursus vigebit adhuc sub termino Mercurii, vnde & hîc malum quasi geminatur.

Anno ætatis currente 57. veniet directio gradus horoscopi ad corpus Saturni, omissa eius latitudine- Huius directionis concursus continget etiam in termino Martis, quod auget vitæ periculum. Sed adhibita eius latitudine, veniet eó anno ætatis currente 60.

Tot anni fatales restant nato, in quibus aut de vita periclitabitur, aut

eandem

eandem finiet. Quis autem eorum sit periculosissimus futurus, deprehendi tur eadem ratione ex reuolutionibus, vt in præcedenti genitura.

DE DOMINO GENITVRÆ.

Variæ sunt Astrologorum opiniones de ratione eligendi dominum natiuitatis, quarũ quæ certior sit, physicis ac Astrologicis rationibus magis firmata, hoc loco non disputabo. Sed præcipuas ita recensebo, vt per me cuiq; liberrimũ futurũ sit sequi, quã uelit quisq; libentius. Firmicus qui apud latinos solus Astrologicas prædictiones conscripsit, ex veteribus, qui ad nostrã ætatem peruenerunt, pronunciat eum planetam geniture dominum, qui præest signo, quod luna proximè post natiuitatem ingreditur, Leone et Cancro exceptis, quibus luminaria præsunt: Exempli causa. Si luna tempore alicuius natiuitatis sit in Scorpione, dominus natiuitatis erit Iuppiter, quia Luna proximè ex Scorpione in Sagittarium transit, cuius signi dominus est Iuppiter.

Hic modus eligendi dominum natiuitatis facilis quidem est, sed quam firmis rationibus nitatur aliorum esto iuditium.

Nonnulli dominum geniture eum censent, *qui præcipuas & plurimas dignitates essentiales obtinet in quinq; locis hylegialibus, videlicet loco Solis, Lunæ, horoscopi, partis fortunæ, & coniunctionis* vel oppositionis luminarium immediatè natiuitatem præcedentis.

Cui hæc ratio placet, is eam poterit sequi: neq; ego reprehendo eam. Mea hæc est ratio, & hunc planetam præficio dominio genituræ, qui & respectu essentialis dignitatis & simul loci cœlestis est potentior. Quod si alterutrum tantum vni alicui planetæ acciderit, vt si quidem in essentiali dignitate, sed tamen non in potenti loco figuræ cœlestis, tũ necesse est ei associari, alterum quendam, qui respectu loci figuræ cœli potentior sit. Huius rationis cum alias, tum præcipue has causas habeo, quod is planeta, qui sic constitutus est in radice & reliquorũ potentissimus, non videatur iure merito posse ab hac ad ministratione remoueri. Sed Luminaria in proprijs domicilijs constituta non assumuntur ad dominium natiuitatis, propter præstantiam, cum ex ijs *potissimum iuditium de omnibus rebus pendeat, & sola dimidium natiuitatis, vt Astrologi loquuntur, obtineant.*

Memineris in hoc casu, domorum dignitatẽ etiã obseruandã, quæ hoc ordine sibi succedunt. 10.1.11.7.4.5.2.9.3.8.6.12.

Porro iuxta naturam domini natiuitatis generaliter iudicatur de tota vita, moribus & complexione seu temperamento corporis nati, quia in constitutione corporis secũdum luminaria præcipuã vim habet dominus geniturę.

EXEMPLVM GENITVRÆ PRIMÆ.

In hoc themate Mercurius dominium iuxta nostram doctrinam obtinet: siquidem ratione dignitatum essentialium reliquis omnibus fortior est, constitutus in domicilio & altitudine sua. Ei in dominio commiscetur Saturnus, qui ratione loci in figura cœlesti reliquis est fortior, constitutus in decima domo. Nam Luna & si horoscopum occupet, qui eiusdem potentiæ est cum decimo loco, tamen cum luminaria non adhibeantur ad hanc considerationem, Saturno locum cedit.

EXEMPLVM SECVNDAE genituræ.

In hac genitura nullus planetarum præter Solem in sua domo aut exaltatione constitutus est. Sed Luminaria non assumuntur ad dominiũ natiuitatis.

Itaque

Itaque res ad Iouem & Mercurium redit, propter eorum mutuam ex domicilio receptionem, quæ tantum ferè hic potest, quantum si vterque in suo domicilio versaretur Ratione domus cœlestis potentissimus est Mars in. 11. loco cœli. Is igitur particeps est dominii huius genituræ.

DE TEMPERAMENTO SEV COMplexione Corporis.

Quid physic' temperamentum seu complexionem vocent notũ est, nempe congenitam mixturam quatuor primorum & naturalium humorum, sanguinis, pituitæ, flauæ, & atræ bilis, & harmoniam horum factam ea ratione vt certæ speciei conueniat Estque magna & multiplex varietas temperamẽtorum & secundum species & secundum indiuidua, quia infinita est varietas humorum bonorum & vitiosorum in humano corpore propter parentum tẽperamenta, & propter astrorum diuersos positus & cõmixtiones. Sed quemadmodum quatuor sunt principales humores in corporibus animantium, ita quatuor his respondent principales crases: Sanguinea quæ est calida & humida temperatè. Phlegmatica quæ est humida & frigida. Cholerica quæ calida & sicca. *Melancholica quæ est frigida & sicca.*

Cognoscuntur autem hæ 4. Crases. ex propriis qualitatibus & naturis significatorum temperamenti & eorum commixtione, collectis certo ordine testimoniis singulorum qualitatum, calidi, frigidi humidi & sicci, vt paulo post copiosius exponemus.

Porro significatores complexionis sunt.

- Horoscopus & dominus eius.
- Planeta vel planetæ in horoscopo constituti, aut eũ partiliter aspicientes, inter quos caput & cauda Draconis etiam numerantur.
- Luna.
- Planetæ Lunam aspicientes medietate suorum orbium.
- Quarta anni vel signum Solis.
- Dominus genituræ.

Horum significatorum & signorum in quibus significatores hi constituuntur, qualitas ordine examinetur iuxta sequentem doctrinam.

Memineris tamen quod Saturnus, Mars vel cauda Draconis aspicientes horoscopum vel Lunam maligno aspectu suas qualitates intemperatas permisceant temperamento corporis, etiamsi reliqua omnia bene se habeant.

QVALITATES PLANETARVM.

♄	Orientalis	frigidus & humidus.
	Occidentalis	siccus.
♃	Orientalis	calidus & humidus.
	Occidentalis	humidus.
♂	Orientalis	calidus & siccus.
	Occidentalis	siccus.
♀	Orientalis	calida & humida.
	Occidentalis	humida.
☿	Orientalis	calidus
	Occidentalis	siccus est.

Lumi-

LVMINARIVM QVALITATES maiorem vicissitudinem subeunt.

☽ à	☌ vsque ad primam □	calida & humida est
	prima □ ad ☍	calida & sicca
	☍ vsq; ad secundam □	frigida & sicca
	Secunda □ ad ☌	frigida & humida.

☊ naturæ ♃ & ♀ est. ☋ naturæ ♄ & ♂.

Solis vires hîc considerantur iuxta anni quadrantes.

VER	☉ in	♈ ♉ ♊	calidus & humidus censetur.
ÆSTAS		♋ ♌ ♍	calidus & siccus.
AVTVMNVS		♎ ♏ ♐	frigidus & siccus.
HYEMS		♑ ♒ ♓	frigidus & humidus.

SIGNORVM QVALITATES IVXTA trigonorum naturam distinguuntur.

♈ ♌ ♐	trigonus est	*calidus & siccus*	.i. *cholericus*
♉ ♍ ♑		frigidus & siccus	.i. Melancholicus.
♊ ♎ ♒		calidus & humidus	.i. Sanguineus.
♋ ♏ ♓		frigidus & humidus.	i. Phlegmaticus.

REGVLAE DE IVDICIO complexionis,

Considera, vt iam dixi, qualitates significatorum ac signorum, & collige testimonia singularum quatuor qnalitatum, calidi, humidi, frigidi & sicci. Et secundum vincentium testimoniorum numerum iudica de complexione Nam si calor & humor reliquas qualitates testimoniorum numero superauerint, natus erit sanguineæ complexionis. Sin humor & frigus Phlegmaticæ. Quod si calor & siccitas *vicerint, natus erit cholericus. Si frigus & siccitas*, Melancholicus.

ADMONITIO DE COLLECTIONE testimoniorum.

In collectione testimoniorum quatuor qualitatum, caloris, humoris, frigoris & siccitatis, vide vt caute verseris. Fieri enim potest, vt qualitates planetæ & signi, eundem numerum testimoniorum sortiantur, vt si vnum sit caloris, & vnum frigoris testimonium, tollunt se mutuo in collectione testimoniorum, nec adscribuutur. Quæ vero non pugnant, ea sola adscribuntur. Ita cum idem planeta est genituræ & horoscopi dominus, collocatus etiam in horoscopo, ter est adhibendus in testimoniorum collectione. Sic Luna si in horoscopo constituta fuerit, bis adhibetur &c. Fortasse hæc videbuntur obscuriora primo tentanti, Sed exemplis fient omnia plana & explicata.

Exem-

Antequam instituimus summariam collectionem testimoniorum, quæ à singulis significatoribus sumuntur, prius opus erit cuiusq; planetæ qualitates, ratione signi & configurationis ad Solem, examinare & colligere hoc pacto.

♄	Occidentalis in Sagittario	siccus tantum. calidus & siccus.	Saturnus ergo obtinet. 2. testimonia siccitatis. 1. caliditatis.
♃	Orientalis in Leone	calidus & humid⁹. calidus & siccus.	Iupiter igitur calidus tãtũ est. Nã humiditas & siccitas se mutuo tollũt, cũ paria numero testimonia obtineãt.
♂	Orientalis in Tauro	calidus & siccus. frigid⁹ & siccus.	Mars igitur siccus tantum est. Nam caliditas & frigus se mutuo tollunt, cũ paria numero testimonia obtineãt.
☉	In Leone	*calidus & siccus est.*	
♀	*Occidentalis* in Libra	*humida tantum,* calida, humida.	*Venus ergo humida est & calida.*
☿	Occidentalis in Virgine	siccus tantum. frigidus & siccus	Mercurius ergo obtinet. 2. testimonia siccitatis &. 1. frigiditatis.
☽	ab ☍ in. 2. □ in Piscibus	frigida & sicca est. frigida humida	Luna igitur frigida tantũ est. Nã humiditas & siccitas se mutuo tollũt, cũ paria numero testimonia obtineãt.

COLLECTIO SVMMARIA TESTIMONIORVM.

	Caloris.	Humid.	Frigid.	Siccitatis.
Ascendens ♒	calid.	humid.		
♄ dominus horoscopi	calid.			sicc.
☽ in horoscopo			frigid.	
♄ aspiciẽs ✱ partili ascendẽs	calid.			sicc.
♂ aspiciens horoscopum □ partili.				sicc. malè tẽperatũ.
☉ aspiciens ☍ ascendens	calid.			sicc. malè temp.
♀ aspiciẽs △ partili ascendẽs	calid.	humid.		
☽ per se considerata			frigid.	
♄ aspiciens ☽ □ partili	calid.			sicc. malè tẽp.
♂ * partili aspiciens ☽				sicc.
Quarta anni	calid.			sicc.
Dominus genituræ ☿				sicc.
♄ participans in dominio	calid			sicc.
Summa collectionis qualitatum	8	2	3	9

Ergo temperamentum huius nati est siccum & calidum, quod cholericum dicitur, proximè declinans ad melancholicum, vt ex collectione qualitatum apparet.

Planetarum qualitates reſpectu Solis & ſigni, in quibus conſtituuntur.

♄	Occidentalis in Ariete	ſiccus tantum calidus & ſiccus	Ergo obtinet 2, teſt: ſiccitatis vnum caliditatis.
♃	Occidentalis in Geminis	humidus tantum calidus & humid⁹	Ergo humidus eſt principaliter. Deinde etiam calidus.
♂	Orientalis in Sagittario	calidus & ſiccus calidus & ſiccus	Ergo perfectè calidus & ſiccus.
☉	in Ariete	calidus & humidus, ratione quartæ anni.	
♀	Occidentalis in Ariete	humida tantum calida & ſicca	Igitur Venus calida tantum eſt. Nam humiditas & ſiccitas tollunt ſe mutuo cũ paria numero teſtimonia obtineāt
☿	Orientalis in Piſcibus	calidus tantum frigidus & humidus	Mercurius igitur humid⁹ tantũ eſt. &c
☽	ab vltima □ in ♂, eſt in Piſcibus	*frigida & humida* frigida & humida	*Luna igitur perfectè eſt* frigida & humida

COLLECTIO SVMMARIA TESTIMONIORVM.

	Caloris.	Humid.	Frigid.	Siccitatis.
Signum horoſcopi ♑			frigid.	Sicc.
Dominus horoſcopi ♄	calid.			Sicc.
♄ aſpiciẽs ptiliter horoſ. □	calid:			ſi cc. ien malc
☉ aſpiciẽs horoſ. □ partili.	calid:	humid.		temperat.
♀ aſpiciens horoſ. □ partili.	calid:			
☽ aſpiciens horoſ. ✱ partili.		humid:	frigid:	
☽ per ſe conſiderata		humid:	frigid:	
♃ aſpiciens ☽ □ partili.	calid:	humid:		
Quarta anni	calid:	humid:		
♂ aſpiciens ☽ □ partili.	calid:			ſicc. diſtem
Dominus genituræ ♃	calid:	humid:		propter mali
☿		humid:		gnũ radium
♂ particeps	calid:			Sicc.
Summaria collectio qualitatũ	9	7	3	5

Igitur huius nati temperamentum eſt calidum & humidum, quod ſanguineum appellatur, proxime declinans ad cholericum.

DE MORIBVS.

Non dubium eſt temperamenti & inclinationum qualitatẽ, mores quoq; & animi motus magnamq; partem præcipuarum actionum humanarum & euẽtuum in vita comitari, ſicut verè dicitur in veteri verſu: Naturæ ſequitur ſemina quiſque ſuæ. Ideo in iudicio morum retinemus eoſdem ſigniſicatores, quos ſupra complexioni præfecimns, ſeruato tamen hoc ordine.

Primũ

I.

Primum si planeta aliquis horo scopi signum, aut illud quod intercipitur, e occupat, is principalis significator morum erit: particeps autem morum eri ille qui in loco significatoris dominium habet.

Proinde considera planetam illum significatorem cū suo dispositore, Nā si fuerit beneficus, uel beneficis configuratus, ac potens, decernit laudatos mores, pro natura sua. Sin maleficus, aut maleficorum inimicis radijs infectus, & debilis, tribuit mores malos & distortos, pro sua natura. Quodsi beneficus fuerit natura significator, vel beneficis configuratus, sed debilis, mores quidem in speciē laudabiles efficit, sed tamen obscuros, fucatos aut simplices: Malefici potentes, decernunt quidē mores bonos, sed aliquid veneni ferè semper miscent, & aliqua improbitatis vestigia imprimunt.

Mercurius mores largitur de natura planetæ, cuius ipse naturam assumit, quod facit duplici modo.

I Cum iungitur alicui corpore, Quod si pluribus coniungatur, eius naturā assumit. qui inter omnes eos potentissim⁹ est, et qui ei propius collocatur.

II *Si nulli cōiunctus fuerit, eius naturā assumit, in cuius essentiali dignitate versatur. Caput Draconis æquiparatur constitutioni Iouis, siue fausta,* sit illa siue infausta Cauda Draconis eodē modo Saturni & Martis. Luminaria in horoscopo constituta pro natura sua possūt aliquid disponere, sed valde generaliter: magis vero pro natura suorū dispositorū. Eadē est ratio Mercurii, cum luminariū naturā assumit. Quod si luminaria, nullos dispositores habuerint, vt cum in propriis domicilijs versantur, propter valde generalē significationem eorum, adhibendi erunt reliqui significatores quoq;.

II.

Si plures planetæ horoscopum occupant, omnes erunt significatores, & morum varietatem efficient. Sed planeta inter eos fortissimus, largitur mores durabiles & perpetuo manentes: reliqui minus durabiles, & qui tantum ad tempus durant, quorum duratio ex directionibus horoscopi & Lunæ deprehenditur, *quæ cum ad Venerem peruenerint, hilaritatem, suauitatem, & reliquos mores Venereos adferunt, cum ad Iouem, probitatem,* honestatē &c. Ad Saturnum, tristitiam, timorem &c.

III.

Quod si nullus planeta horoscopum occupat, considera quis Lunæ Mercurioué iungatur, et pro natura eius planetæ mores iudicabis. Si plures iuncti fuerint, aut si Sol iungatur alterutro, repete eadē, quæ iam de planeta vel planetis in horoscopo dicta sunt.

Si vtriq; & Lunæ & Mercurio iungatur, aliquis, perinde est, ac si plures planetæ constituerentur in horoscopo. Nam diuersitatem morum significant. Sed tamen mores significati à potentiore erunt durabiliores, siue is iungatur Lunæ siue Mercurio.

IIII.

Cum nullus planeta horoscopū occupat, neq; Lunæ aut Mercurio aliquis iūgitur, sume dominū horoscopi. Et pro eius natura & affectione bona vel mala, iudica de moribus, vt supra in 1 mēbro docuimus: ita tamē, si dispositor eius, cū aliquo aspectu intueatur. Quod si nō intuetur eū, recurrendū est ad illū planetā, qui fortius Lunā vel Mercuriū partili radio aspexerit. Si nullus aspexerit partili radio is erit significator morū, qui in loco Lunæ &

Mercurii, plures dignitates sibi vendicarit, ac pro natura et affectione eius bona vel mala, iudicium de moribus, constitues. V.

Significatores morum iuncti stellis fixis regiis, primæ vel secundæ magnitudinis, illis præsertim, quę parũ distant ab Ecliptica, mirificam vim habent in morum significatione. Nam eos mores, quos planeta per se significat, ita excitant, vt planè se aperiant, & conspiciantur. Exẽpli gratia, Cor Leonis cum significatoribus morum, magnanimitatem & mores graues ac generosos addit. Spica Virginis sedulitatem & grauitatem suauitate temperatam. Cor Scorpii, Item oculus Tauri cum significatoribus, violentiam quãdam, audaciam & importunitatẽ portendunt, præsertim si malè collocẽtur.

Postremo quotiescunque in his membris aliqua pugnantia inciderit de moribus, adhibendus erit velut arbiter dominus geniture, secundum eius naturam beneficam vel maleficam, lis erit dirimenda, Item si testimonium domini genituræ accesserit ad congruentes eius naturæ significationes, effectus erit eò euidentior & certior. Quemadmodum etiam fit, cum plures regulæ ex his se ad aliquod thema accomodant, vt si sit aliquis planeta in horoscopo, & simul Lunæ aut Mercurio vel vtriq; iungatur etiam aliquis planetarum, *significato inter se conuenientium, effectus magis intenditur, Et hoc diligenter etiam in sequentibus obserua.*

QVALES MORES A SINGVLIS PLANETIS oriantur ac decernantur in specie.

♄ Significator morũ

- fortis & bene affectus facit.
  - Graues cum quadam austeritate, consultos, profunda cogitantes.
  - taciturnos, solitarios,
  - laboriosos, patientes, cumulatores opum, parcos, proprij cõmodi studiosos
  - Zelotypos.
- *debilis & infeliciter positus facit*
  - Abiectos, squalidos, humilia cogitãtes
  - querulos, negligẽtes, timidos, amãtes
  - *solitudinũ, tristes, inuidos, pertinaces,*
  - *suspicaces, liuidos, obtrectatores,* ἐπιχαιρεκάκους
  - superstitiosos.
  - incultos malignos.
  - insidiantes suis.

♃ Significator morũ

- fortis & bene affectus facit.
  - Honestos, religiosos, iustos, beneficos,
  - magnanimos, gubernatores,
  - splẽdidos, magna curantes, graues, cũ quadam moderatione,
  - prudentes, ordinatè viuentes,
  - amantes sui. candidos, apertos.
- *Imbecillis & infeliciter positus facit.*
  - *Mores similes facit superioribus, sed obscuriores & magis dilutos.*
  - fastum animi, superbiam,
  - superstitionem, timiditatem,
  - simulatum ac fucatum candorem,
  - negligentiam, prodigalitatem.

Genera-

♂ Significator morũ

- fortis & fortunatus reddit.
  - Generosos, fortes, animosos,
  - iracundos, vehementes, promptos manu,
  - apertos cum quadam temeritate,
  - pericula non metuentes,
  - idoneos gubernationi, iactabundos,
  - vindictæ cupidos,
  - impatientes seruitutis & iniuriarum.
- debilis & infortunatus reddit.
  - Crudeles, rixosos, tyrannicos,
  - præcipites, truculentos, temerarios,
  - inuerecundos, sumptuosos, thrasones,
  - iniustos, effusores sanguinis,
  - feroces in lacessẽdo, & vbi ad rẽ ventũ est timidos.
  - prædones, autores discordiarum &c.

♀ Significator morũ

- fortis ac bene cõstituta &c. facit
  - Lætos, hilares, formosos.
  - blandos. venustos in gestibus.
  - bonos, beneficos, misericordes,
  - *ad voluptates pronos, mundiriei et choreis deditos.*
  - *delitiarum amantes,*
  - subtiles & elegantes.
- debilis & infortunata facit
  - Mulierosos, timidos,
  - imbelles, ignauos, procos,
  - pronos ad libidinem,
  - negligentes famæ aut infames,
  - Zelotypos.

☿ Significatrix morũ

- fortis, bene dispositus facit
  - Acumine ingenii excellentes,
  - Studiosos & capaces doctrinarum,
  - Vafros, solertes, cautos,
  - Bene coniectantes, & cum dexteritate omnia facientes,
  - *Poetas, Geometras, mathematicos,*
  - *Sine doctore facile & multa discentes,*
  - *Disertos, moribus, compositis. &c.*
- Imbecillis, infortunatus facit
  - Instabiles, malitiosos, maleuolus,
  - perfidos, mendaces, præsertim cũ cauda draconis in essẽtiali dignitate maleficorũ
  - cuiusuis rei simulatores et dissimulatores
  - Clã struentes fraudẽ et periculosa cõsilia.
  - Infames, falsarios.
  - Vbique se ingerentes.
  - Obliuiosos, stolidos, loculeios, hallucinantes.

Ab his planetis & eorum inter se commixtione, principalia de moribus iudicia sumuntur. Sed Luminarium positus, eorum qualitates adiuuant. Luna cum principali significatore conueniens, ac crescens lumine, mores magis apertos significat. In occultatione aut coniunctione, obscuriores & languidiores impetus. In latitudine maxima Septẽtrionali aut Meridiana, varietatem

rietatẽ morũ decernit. Sol cum principali significatore morũ congruentiam habens, ac fortis existẽs grauitatem morum cum splendore cõiunctã iuuat: Debilis, omnia languidiora & difficiliora reddit.

Præstat autem luminarium dispositores magis q̃ ipsa Luminaria considerare. Iis enim officium decernendi mores committunt.

EXEMPLVM PRIMAE Geniture.

Luna in horoscopo constituta in Piscibus, signo intercepto, principalis significatrix est morum. Sed quia luminaria ab hoc munere remouentur, assumo Lunæ dispositorem Iouem, qui cum sua natura beneficus sit, decernit quidem mores laudatos, probitatem, candorem, & reliquos mores Iouiales, de quibus paulo ante in specie dixi. Sed cum sit mediocriter feré affectus, significat hæc coniuncta cum simplicitate aut simulatione quadã. Cum igitur obscurius sit iuditium, consulantur dominus genituræ, & eius coadiutor.

Mercurius dominus geniturę principalis, fortis ac bene dispositus, solertem, ac cautum, moribus compositis, amantem studiorum, & cum quadam dexteritate omnia præstantem efficit.

Saturnus particeps dominii natiuitatis & dominus horoscopi simul, fortis ac bene constitutus, patientiam & laborum tollerantiam his addit, tristem sæueritatem, grauitatem, quærulos sermones. &c.

EXEMPLVM SEGVNDAE genituræ.

In hac genitura nullus planeta horoscopum occupat, sed Mercurius Lunæ iungitur, assumens naturam Iouis duplici de causa: primo quia in domo eius ponitur, deinde quia ab eo ex domicilio recipitur, præterea vterq; dominium natiuitatis sibi vendicat.

Decernunt igitur hi duo planetæ mutuo se recipientes, animum synecrũ ac candidum & mores satis laudatos, de natura Iouis & Mercurii, quos supra descripsimus, *sed tamen obscuriores & magis dilutos, eo quod receptio illa sit ex detrimentis & alterius etiam ex deiectione sua,* Item per malignũ aspectum videlicet quadratum. Accedit etiam hoc incommodi quod Mercurius in vltimo gradu piscium versatur, qui locus quoq; eius receptionẽ valde debilitat. Nam vt supra diximus, fines signorum imbecilles sunt & vires suas miscent sequentibus signis.

DE INGENIO.

Ingenium felix est quod vel per se multa prudenter, celeriterq́; excogitat vel ab aliis tradita & inuenta facile intelligit, agnoscit ac diiudicat, eademq́; firma memoria complectens, tum vel in agendo dextré exequitur, vel in dicendo eleganter ac perspicue edisserit.

Sumũtur autẽ ingenii ac intellectus significationes præcipuè à Mercurii cõditione. Nam is rationalem animã & spiritus animales in cerebro, sicut Luna vegetatiuã & vires cerebri propiores sẽsibus gubernat. Quod si horũ planetarũ loca bene sint affecta, & se mutuo benigno radio aspexerint efficitur quædam conuenientia inter rationalẽ animam & reliquas vires, ex qua ingenium

ingenium præstans & vegetum conflatur. Sin male afficiantur, aut inimicis radiis se aspexerint, aut nullo prorsus, ingenium hebes & tardum efficitur. Ex his facile etiam mediocritatem ratiocinari potes.

Ita si Mercurius fuerit potentior Luna, & in signis imperantibus ac longarum ascensionum, Luna vero in obedientibus & breuium ascensionũ signis, qui sic nascitur, in eo ratio imperabit reliquis virib⁹ vegetatiuæ & appetitionibus. Si Luna fuerit potẽtior hoc modo, quod sæpius fit, affectus & reliquæ inferiores vires facile vincent rationem.

Porro fœlix ingeniũ aut rude magis aphorismis q̃ vniuersali quadã ratione iudicatur: cõsidera igitur ordine has regulas de aspectib⁹ Lunæ & Mercurii.

I. Mercurius & Luna cõiuncti, in quocunq; signo, ingeniosos reddũt.

II. Mercurius & Luna sextili radio se intuentes.

III. Itẽ trigono, sed imbecillior est hic radius q̃ Sextilis in iuditio ingenii

IIII. Quadratus aspectus Mercurii & Lunæ, ingenium quidem largitur, sed aliquanto turbidius & minus sagax.

V. Sic oppositus Mercurii & Lunæ, præsertim ex angulis, contumacia & turbulenta ingenia faciunt. Quod si alteruter sit in suo detrimento, ingenia seditiosa, temeraria, stolida, quæ audacter periculosa cõsilia struũt, denotat.

Quod si tamen Mercurius in Tauro sit retrogradus aut combustus vel in Capricorno, in. 12. loco, à malignis partiliter damnatus, simplices & rudes efficiet, quantumuis cum Luna aspiciat.

II.

Cum nulla est inter Mercurium & Lunam conuenientia per aspectum, sequentia considerabis.

I. Mercuri⁹ saluus (hoc est nõ læsus partiliter à maleficis præsertim Marte) in Aquario, & in bono loco cœli, facit ingenio ad omnes disciplinas aptissimo, præsertim si sit orientalis, velox & cum Nodo. Nam ita constitutus acumine & celeritate inuentionis mirabiles, ingenio promptissimos et in omni doctrinarum genere excellentissimos efficit. Talis est in themate viri clarissimi ac præceptoris mei amantissimi, Domini Philippi Melanthonis, cuius ingenium fœlicissimũ eam studiis communibns, & vniuersę Reipub. literariæ attulit cõmoditatẽ, vt ex eius schola & institutione, velut ex equo Troiano, innumera multitudo doctissimorum, & in omni eruditionis genere præstantiss. ingeniorum prodierit; non sine singulari ac publica totius Europæ vtiltate.

II. Postea adiuuat etiam acumen ingenii & industriam, cũ in horoscopo cõstituitur Mercurius, nisi tamẽ sit in Tauro, Nam vt dixi, in eo stupidos facit.

III Sic Mercurius in domo sua, præsertim in angulis figuræ cœli, acre ingenium decernit.

IIII. Receptus à Luna ex domicilio vel exaltatione Mercurius, etiam largitur insignem ingenii solertiam.

V Item Mercurius in Ariete, præsertim si recipiatur à Marte ex eadem dignitate, præstat etiam solertiam ingenij admirabilem. Ita constitutus est in themate viri Clarissimi, Domini Ioachimi Camerarij, præceptoris mei reuerenter colendi, cuius ingeniũ excellens, multiplex doctrina atq; in vtraq; lingua absoluta omnibus numeris eloquentia, iuremerito omnium iudicio admirabilis ac propè diuina censetur.

III.

Luna in nodis, callidos, agiles et ĩgenio prõptissimos facit, pręsertĩ si crescat

lumi-

lumine, & non procul absit ab oppositione. Ita si sit in maxima latitudine, Alcibiadæa ingenia. hoc est, callidos, acutos, industrios, & instabiles reddit. Nam in tali situ subito motum suum mutat.

IIII.

Vniuersaliter fiunt præstantia ingenia cum plures planetæ in trigono aereo constituantur, videlicet ♊ ♎ ♒.

IMBECILLIS ET CORRVPTI ingenii signa euidentia.

Mercurius peregrinus, aut cadens, combustus à Sole tardus motu, vel læsus partiliter à maleficis, præsertim Marte, ingenium corruptum, & stolidum significat. Quo plura horum incõmodorũ concurrunt, eo deterius est.

Item Mercurius à Luna separatus, id est non intuens eam vllo aspectu, ingenij vires imbecilles notat. Quod si plura incõmoda accesserint, vt si Mercurius sit peregrinus, & in domo cadente, prorsus corruptum ingenium significat.

Mercurius retrogradus & latens sub radiis, tardissimos aut in actionibus aut ingenio ostendit.

Nota si Mercurius in Aquario quidem sit, & tamen Marti coniunctus in octaua, *mirificè ab eo ledatur, adeò, vt etiam* simplex ac plane rude ingenium efficiat, Plurimum enim in eo casu potest corporalis coniunctio maligni in loco abiectissimo figuræ cœli.

EXEMPLVM PRIMÆ GENITVRÆ.

Mercurius in hac genitura omnium planetarum potentissimus, in domo & exaltatione sua constitutus, & in angulo occidentis, ingenium acre ac præstans inuentionis acumine, & iudicii dexteritate decernit.

Sed oppositus Mercurij & Lunæ ex angulis, notat quandam discrepantiam et pugnam rationis & inferiorum virium animæ, in qua tamen vincat & dominetur vbiq; ratio. Et hæc ingenium leuiter afficiunt, velut turbinem aut nubeculam obijciendo.

EXEMPLVM GENITVRÆ SECVNDÆ.

Lunæ iunctus Mercurius velox motu, ingenij celeritatem & acumen largitur, præsertim à Ioue receptus, Idq; euidentius faceret nisi coniunctio Lunæ & Mercurii in hoc themate esset tam platica, & Mercurius in casu ac detrimento suo constitueretur. Receptio mutua Iouis & Mercurii ex propriis domiciliis huic incommodo Mercurii succurrit, sed quia ex vltimo gradu signi Piscium & ex detrimentis fit, parum proficit.

DE STATVRA ET CONFORMATIONE Corporis.

Absolutis iis, quæ ad animum principaliter spectant, addemus etiam qualemcunq; considerationem de forma & statura corporis, Quod iuditium obscurius tamen est, & magis fluxum, quam superiora, eo quod in in formæ & corporis constitutione, præter vniuersales, hoc est, celestes causas, magna etiam vis est particulariũ, vt sunt parẽtum ac progenitorum similitudo, quę interdum longissimè durat & propagatur, in posteros, prouinciæ seu loci natalis natura, educatio, institutio, victus ratio & alia. Nec tamen dubium est bonos syderum positus in formis venustatem, hilaritatem & quasi lumen

efficere

deformare corpus. Omittimus autem hic de industria prolixam descriptionē formarum, quas singuli planetæ & singula Zodiaci signa efficiunt, ac tātū de ea parte quæ corporis staturam, hoc est proceritatem aut breuitatem, maciem aut plenitudinem dijudicat, breuem doctrinam addemus.

I.

Iudicatur autem statura corporis procera aut humilis principaliter ex planeta horoscopi dominum partiliter aspiciente, & si plures aspiciant, fortiore: quorum hæ sunt obseruationes.

♄	Orientalis	decernit	Mediocrē staturam, declinantē tamē magis ad
	Occidētalis		Breuem (breuitatem
♃	Orientalis		Proceram staturam decernit.
	Occidētalis		Mediocrem, sed longiorem quam breuiorem,
♂	Orientalis		proceram staturam decernit
	Occidentalis		mediocrem, sed longiorem
♀	Orientalis		mediocrem, sed longiorem
	Occidentalis		mediocrem

Mercurius siue orientalis siue occidentalis, pro natura dispositoris sui, staturam *corporis format Quod si in domo sua aut Solis vel Lunæ constituatur, pro natura signi, quod occupat, corporis staturam* moderatur. Eadem est ratio Luminarium.

SIGNORVM NATVRA.

♈ ♉ ♎ ♏	decernunt staturam mediocrem, sed lōgiorem tamen &c.
♌ ♍ ♐	proceram.
♋ ♑ ♓	breuem.
♊	mediocrē.
♒	mediocrem, sed breuiorem

EX HAC SIGNORVM ET PLANETARVM PROPRIEtate sumuntur iuditia de statura corporis, quibus addendæ sunt tamen hæ cautelæ:

I. Venus vel Mercurius ex domicilijs vel altitudinibus suis, aspicientes horoscopi dominū, decernunt longa statura, contrà in casu aut detrimēto suo.

II. Saturnus, Iupiter, Mars in casu aut detrimento suo, retrogradi, decernunt, staturam mediocrem vel breuiorem. Sed in casu aut detrimento suo non retrogradi, non mutant, staturam.

II.

Si nullus planeta dominum horoscopi partiliter aspexerit, iuditium sumatur à natura domini horoscopi, neglecto signo quod is occupat, si fuerit directus: Sin retrogradus Et in casu suo iuditium non à natura planetæ, sed signi, quod occupat, sumatur. Eodem modo Luminaria dominantia horoscopo, decernunt staturam pro natura signi, quod occupant. Mercurius vero dominium Horoscopi obtinens, tribuit staturam pro natura sui dispositoris &c. vt paulo ante monuimus.

DE CRASSITVDINE VEL MACIE CORPORVM.

Crassitudinem & maciem corporum nominamus eam, quæ natura corporibus accedit post ἀκμὴν id est consistentem ætatem, aut circa. 30. vel paulo post, non quatenus morbo aut inconueniente victus ratione corpora à quantitate naturali recedunt.

Huius iuditium sumitur ab horoscopi signo & eius Almuten, id est, planeta qui plurimas dignitates in eo signo obtinet.

SIGNORVM NATVRA HAEC EST.

♈ ♉ ♌ prior medietas crassitiem, posterior maciem adfert corporibus.
♊ ♏ prior maciem, posterior crassitiem.
♋ ♑ prior pars mediocritatem vel potius maciem, posterior mediocritatem tendentem ad crassitiem magis.
♐ prior maciem, posterior crassitiem.
♒ ♓ ♎ ♍ mediocrem proportionem corporum decernunt. Pars tamen Aquarij posterior magis ad maciem declinat.

Almuten horoscopi hoc modo considerandus est.

I. Si horoscopus à suo almuten partiliter aspiciatur, fer iuditium pro natura signi horoscopantis.

II. Si non: fer iuditium pro signi natura, quod horoscopi Almuten occupat, modo is ab aliquo partiliter aspiciatur.

III. Si horoscopi Almuten à nullo partiliter aspicitur, iudicato ex ea medietate signi, quam Almuten non occupat.

CAVTIO.

Dominus domus vel exaltationis horoscopi coniunctus Soli medietate sui orbis, absente Marte, corpus grande decernit, *si accesserit cōsensus horoscopi vel eius Almuten. Sed Marte præsente, maciem etiā dissentiente* horoscopo vel eius Almuten.

CAVTIO. II.

Si bini planetæ sunt Almuten horoscopi, præferatur is, qui partiliter aspicitur, domumq; obtinet, ei qui in exaltatione constitutus est, tametsi & ipse aspiciatur.

Hanc de statura & configuratione corporis considerationem, etsi sciā tenuiorem esse, & vix conferendam cum Ptolomæi & reliquorum artificū doctrina, quæ rationes & physicas & Astronomicas habet euidentes, sumptas à planetarum latitudinibus, motu in Epicyclo, stationibus & configurationibus ad Solem. &c. tamen secutus eam hactenus in multarum geniturarū diiudicatione, mirificum eius cum experiētia consensum depræhendi. Neq; vero *propterea reiicio vsitatam doctrinam, quam & hic & alibi velim per me retinere suam autoritatem saluam & incolumen, imo quam in aliis ipse* quoque, quoad eius fieri potest, sequor, nisi quatenus me experientia aliud docuit. Hoc autem de statura corporis iuditium, in veteri quodam libro Astrologico manu inscripto inueni, cuius copiam mihi fecit Reuerendus domus Dominus Andræas Abbas monasterii Elchingensis, in ripa Danubij, prope Vlmam. Infra in loco de morte, etiam quasdam ex eodem libro obseruationes dignas annotatione recitabo.

EXEMPLVM GENITVRAE PRIMAE.

Venus omnium, qui Saturnum dominum horoscopi partiliter irradiant, fortissima, in proprio domicilio constituta, decernit staturam proceram.

Gradus horoscopi cum aspiciatur partiliter à suo Almuten Saturno, & in posteriore medietate signi Aquarii constituatur, mediocrem corporis proportionem inter crassitiē & maciē decernit, plus tamē ad maciē tendentē.

EXEMPLVM GENITVRAE SECVNDAE.

Sol in sua exaltatione positus, iungitur domino horoscopi Saturno partiliter

tiliter, & *fortior* est reliquis omnibus Saturnum aspicientibus. Igitur is pro natura signi, quod occupat, videlicet Arietis, tribuit staturam mediocrem, sed proceriorem tamen.

Gradus horoscopi à suo Almuten Saturno partiliter irradiatus, ascendente posteriore medietate signi Capricorni, de eius natura largitur molem corporis mediocrem, sed tendentem magis ad plenitudinem.

DE FORTVNA VEL MISERIA nati in genere.

Si de fortuna & successibus nati in genere iudicare, voles, hoc est, scire vtrum natus in maxima parte vitæ, consiliorum & negotiorum suorum, secūdam fortunā & successus felices sit habiturus, cōsidera geniturā hoc modo.

Si in ea quatuor, aut plures planetæ constituti reperiantur in essentialibus dignitatibus, puta domicilio proprio vel exaltatione, vel si mutuo se recipiant ex iisdem dignitatibus essentialibus, illustrem, splendidam & manifestam fortunam nato significāt, eumq; fore in maxima vitæ & actionum suarum parte, *& pluribus rebus fortunatum ac fœlicem. Hoc nos in multis genituris experimento probauimus verum esse. Talis fuit* constitutio in themate potentissimi regis Hungarici Matthiæ Huniadis, qui quatuor planetas habuit in mutua receptione ex dignitatibus essentialibus. Et quamquā calamitatibus initio præmebatur, tamen ita emersit, vt ex carcere ad regiam dignitatem euect⁹, formidabilis fuerit non tantū Imperatori Friderico Austriaco, sed etiā ipsis Turcis, &c. Talis fuit natiuitas Mauritij ducis Electoris Saxoniæ, cui quatuor planetæ in propriis domiciliis cōstituebantur.

Contrà quando totidem planetæ in suis detrimentis aut deiectionibus constituuntur, absq; mutua receptione ex dignitatibus essentialibus, uel si totidem prorsus peregrini fuerint, hi magnis in vita impedimentis confiictantur, vt in genesi optimi principis Saxonici Ioannis Friderici, qui ab imperatore Carolo V. captus, electoratus dignitatem amisit, Habuit enim is tres *planetas in suis detrimentis, & vnum planè peregrinum. Sed cum maxima pars sit mediocrium geniturarum, & rariores sint excellenter bonæ aut ex*tremæ seu terræ genituræ, fit etiā vt hæc regula rarius se ad vsū accōmodet. Proinde considerentur proximè post hanc regulam, luminaria & eorum dispositores, Nam ex horum constitutione etiam satis commodè illustris fortuna aut infortunium depræhendi potest: ita tamen vt prima regula sicubi inciderit, multo prꝺstantiores, et euidentiores effectus polliceatur Hæc vero magis ad mediocritatem declinare videatur, non tamen sine aliquo insigni euentu. Quod si hi significatores ex toto vel maiori parte fuerint in propriis domiciliis aut altitudinibus suis vel in receptione mutua ex iisdem & principalibus dignitatibus, atq; etiam in optimis cœli locis, vt in decima, 1. 11. 2. 5. fortunam & successus secundos in uita significant.

Contrarium portendunt, cum sunt peregrini, vel in casu aut detrimento suo, & in locis cœli calamitosis, vtpote in. 6. 12. vel 8.

Si mediocritas ex iis colligetur, quod fit cum pars significatorum est in suis dignitatibus & benè affecta, pars extra suas dignitates & male affecta: Aut cū significatores, fuerint quidē in dignitatib⁹ suis verū in locis abiectis

figuræ cœli: Vel è contra, dissimilem fortunam, inconstantem, & inæquale lem portendunt, ita vt in alijs vitæ partibus fœlix sit natus futurus, in alijs rursus infœlix & infortunatus, Item modo in eadem re fortunatus, modo infortunatus.

Fieri autem potest vt aliquis habeat natiuitatem valde bonam, & multas egregias fortunæ & fœlicitatis significationes, & tamen euentus tardius respōdeat his significationibus. Id iuditium maxima ex parte à directionibus pendet. Nam ex eis solers Astrologus facile poterit prędicere nato, quo tempore vitæ suæ futurus sit insigniter fortunatus aut calamitosus.

Tantum ingenere de fortuna & successibus, nunc de eadem in specie sequentibus capitibus tractabimus.

EXEMPLVM PRIMAE GENITVRAE.

In hac genitura tres planetæ constituuntur in suis domicillijs. Sol, Venus & Mercurius. Sed Sol in vltimo sui signi gradu hæret, vnde vires eius infringuntur. Attamen in angulo occiduo, vim mediocrem habet, estq; ipse loci sui dispositor, Luna peregrina est, sed in bono loco figuræ cœlestis. Vnde etiā mediocris, Iupiter dispositor Lunæ, in abiecto loco est, & peregrinus. Itaq; malè affectus. *Mars in detrimento suo. Cum igitur luminaria & eorum dispositores mediocriter se habeant, fortunæ mediocritatem & inæqualitatem* decernunt. *Saturnus in centro medii cœli*, fortunæ nati infestus est. Planetæ signa satis commoda obtinent, & se mutuo aspiciunt fere radiis benignis, Sed principalia loca figuræ cœlestis sunt à maleficis infecta, & fortunæ in locis abiectis hærent. Hinc mediocris censetur hæc genitura, que alias mediocritatem superaret.

EXEMPLVM GENITVRAE SECVNDAE

Multa sunt in hac genitura mediocritatis testimonia. Etsi enim Sol sit cōstitutus in altitudine sua, & Iupiter recipiat Mercurium ex domicillio, quæ constitutio tantum valet, ac si vterq; in sua domo versaretur: tamen cum ea receptio fiat altero planeta prorsus in vltima parte signi versante, ac per quadratum radium, deniq; ex vtriusq; planetæ detrimentis, minus potest ac debilior est, neq; tamen prorsus contemnenda. *Nam mediocritatem fortunæ decernit, quam similiter luminaria & eorum dispositores significant.* Sol in sua exaltatione, sed cadens ab angulo, Et dispositor eius Mars extra suas principales essentiales dignitates, in succedente loco. Luna extra suas principales essentiales dignitates, & angulum, Et eius dispositor Iupiter in dignitate sua quidem, propter receptionē mutuam cum Mercurio, ex vtriusq; tamen detrimento, vt dixi, in figura autem cœli in loco ab angulis cadente. Omnia hæc mediocrem fortunam ostendunt, commodiorem tamen & plus adiunctæ felicitatis q̄ aduersitatis habentem.

DE DIVITIIS ET FACVLTATIBVS.

Non vna est Astrologorum ratio iudicandi, quales *futurę sint nati* facultates Ptolemæus à parte & fortunæ iudicium sumit, & planeta obtinent dominium loci partis fortunæ, Item beneficorū vel maleficorū ad hos cōfiguratione

Aliter Arabes quorum plerique tamen magnæ fœlicitatis iudicia á specialibus quibusdam & non magni momenti significatis sumunt. Hanc diuersitatem opinionū nos hic missam facimus, explicaturi eam diligenter et copiose

ōſe, Deo iuuante, in opere noſtro Aſtrologico, cuius lectionem, vbi in pub licum prodierit, ſperamus harum artium ſtudioſis vtilitatem & voluptatem non contemnendam allaturam. Nunc generalem rationē iudicandi breuiter oſtendemus, profuturam etiam iis, qui non ſunt diu multumq; verſati in hoc genere ſtudiorum, & à veterum ac optimorum doctrina non ita multum diſſentientem.

Hunc autem de diuitiis locum paulo copioſus exponam q̃ cæteros, propterea quod maximum ac præcipuum vſum inter omnes ferè prædictiones Aſtrologicas habeat, quodq; ſignificationes magnæ alicuius & excellentis fortunæ coniunctæ ſint plerunque cum ingenti aliquo alio bono, vt ſunt dignitates, honores, principum gratia, fœlix coniugium & ſimilia.

Itaque diuitias nomino vniuerſum id, quod nato à parentibus relictum (ſi tamen aliquid relinquitur:) eius induſtria conſeruatur, augetur, vel diſsipatur. Id quod multis & variis modis fieri poſſe manifeſtum eſt.

Porro quemadmodum in omni quæſtione, ita et in iuditio de ſubſtantia et facultatibus nati, omnium primo notos oportet eſſe ſignificatores diuitiarum præcipuos et generales, qui ſunt in qualibet geneſi ſex hi:

1 *Cuſpis ſeu principium ſecundæ domus, à quinto gradu proximè antecedente vſque ad proximos quinque gradus tertiam domū antecedentes.* Vnde ſequitur ſignum inter eos gradus interceptum, etiam ad ſecundam referri.

2. Dominus ſigni emergentis atque etiam intercepti in ea domo, ſi id forte contingat.

3. Pars fortunæ.

4. Dominus eius.

5. Iupiter qui ſemper eſt generalis ſignificator diuitiarum.

6 Planetæ exiſtentes in ſecunda, ſiue vnus ſiue plures: Qui quidem quò viciniores ſunt initio ſecundæ domus, eo euidentiores præſtant effectus.

Ex his ſex ſignificatoribus pari ratione de diuitijs vel etiam futura nati paupertate iuditium eſt componendum

Partiemur autem hanc doctrinam in *quatuor membra.*

1 *Primo vtrum natus ſit futurus diues, an pauper, hoc eſt vtrum bona relicta à parentibus ſuo Marte ipſe quoque ſit aucturus, vel diſsipaturus.* Sic enim ſupra definiuimus diuitias.

2. Cum conſtat natū futurū diuitē, quæritur vnde acquiſiturus ſit diuitias

3 Quibus rationibus, licitis ne an illicitis.

4 Vtrum diuitiæ acquiſitæ duraturæ ſint perpetuo. Sæpe enim fieri videmus, vt quis ſubito ditatus, tamē ad extremū rurſus redigatur ad paupertatē

Hæc capita ordine explicabimus ea perſpicuitate, vt res plana prorſus fiat Lectori etiam mediocriter attento. Hoc autem obſeruari in genere primum hic debet, quod quæ de diuitiis dicentur, eadem ratione prorſus de paupertate & amiſsione ſubſtantię paternę intelligenda ſint. Eadē eſt enim contrariorum, vt dicitur, doctrina, eadem ratio.

I. PROPOSITIO DE DIVITIIS.

Vtrum natus futurus ſit diues, ſic iudicari debet.

Si ſignificatores omnes ſupra conſtituti, vel maxima eorum pars, ſint fortes ac potētes, ſignificatur natū diuitias magnas acquiſiturū cōtrà ſi debiles,

Et

Et quò plura testimonia debilitatis vel fortitudinis significatorum inter se conueniunt, eò significatum erit euidentius & maius.

Nec interest vtrū sint benefici planetæ significatores diuitiarū an malefici

Hoc iuditium generale est,& omnibus natiuitatibus accommodari potest. Specialia autem iuditia seu aphorismos experientia & obseruatione ꝓbatos, alibi colligemus. Quales sunt: Iupiter cum parte fortunæ in bono cœli loco, affluentiam diuitiarū significat, præsertim si accedat stella fixa regia

Dominus partis fortunæ receptus à luminaribus, altero eorum secundā vel primam occupante, & similes.

II. PROPOSITIO.

Si constat nato aduenturas diuitias, vel paupertatē, quæritur vnde accessuræ sint diuitiæ, vel cōtraria ratione, vnde paupertas seu amissio patrimōii

In hac quæstione consideranda est natura significatorum, quos supra enumerauimus, & domus cœlestis, in qua vel iñ quibus significatores constituti sunt. Hæc ordine explicabimus, & vberius quidē hoc loco, quod sæpe *eadem repetenda erunt deinceps in reliquis locis. Primum quidem naturas planetarum, quibus significatoris officium tribuitur, postea singularum domorum naturas & significationes describemus.*

Significatoris natura distinguitur in Res & Personas.

♄ significat ex	Rebus	Agriculturā et terræ fructus, fodinas metallicas, thesauros, ædificationes, opificia impura, tenacitatem, hæreditates mortuorum, carcerem, æs alienū &c.
	Personis	Senes, agricolas, fossores metallorum, lapicidas, coriaarios, figulos, Iudæos, Mauros, lentos, inuidos, pertinaces, solitarios, taciturnos Insidiatores. &c.
♃ significat ex	Rebus	Dignitates ecclesiasticas, religionē, regnū, iustitiā, honestatem, commendationes, beneficia. &c.
	Personis	Magnanimos, verecundos, mansuetos, prælatos, *Episcopos, iurisperitos, iudices, aduocatos, nobiles, diuites, præfectos prouinciarum vel ciuitatum. &c.*
♂ significat ex	Rebus	Contentiones, rixas, militiam, bellum, victoriam, fortiter, gesta, fabrilem, alchymisticā & omnia opificia, quæ fiunt per ignem, tyrannidē, violētiam. &c
	Personis	Contumeliosos, seditiosos, coniuratos, prædones, iracundos, crudeles, audaces, inuerecundos, conuitiatores, chirurgos, lictores, duces, capitaneos, quiferrum & ignita opera tractant, bombardarios, macheropæos, fusores. &c.
☉ significat	Res oēs maximas	Regna, respub. nobilitatem, magistratus, magnanimitatem, fortitudinem, splendorem, dominationem, honores. &c.
	Personas vt	Reges, principes, comites, gerentes, magistratum splendidos, amantes & cupides honorum, ambitiosos. &c.

- ♀ significat
  - Res vt: Amorem, misericordiam, affabilitatem, comitatem vrbanitatem, pulchritudinem, donationes amicorum, donationes à mulieribus, coniugium, dotem, ornamenta & res præciosas, libidines, luxum etc.
  - Personas: Mansuetos, comptos, saltatores, procos, mulierosos, appetentes, delitiarum, & conuiuiorum, phrygiones, musicos, poetas, pictores. &c.
- ☿ significat
  - Res vt: Contractus, negotiationes, omnes artes, quæ in ingenii contemplatione versantur, studia honesta, inuentionem nouarum artium, diuinationem, curiositatem. &c.
  - Personas vt: Philosophiæ professores, mathematicos, arithmeticos, scriptores, cancellarios, mercatores, sculptores, omnis generis artifices ingeniosos, sagaces dolosos, calidos, instabiles. &c.
- ☽ significat ex
  - Rebus: Omnia quæ humore abundant, mare, flumina, & horum affluxus & refluxus: studium historiarum, legationes, nauigatiões, itinera, peregrinatiões &c.
  - Personis: Reginas, viduas, plebem, & eos qui in assiduo motu sunt, vt nautas, cursores, legatos, nuncios, piscatores, vagabundos, pusillanimes. &c.

Hactenus de planetis. His addendæ sunt. 12. domiciliorum cœli significationes quibus etiam opus est in hoc iuditio.

Prima domus.

Quæ ascendens, Item cardo orientis, & horoscopus dicitur, significat vitam, nutritionem, complexionem corporis, animi qualitatem, & quæ his accidunt. Item propriam industriam nati.

Secunda ἀναφορα.

Significat ea quæ necessaria sunt vitæ, vt substantiam, opes, diuitias, supellectilem, lucrum, census & similiter propriam industriam nati.

Tertia θεά.

Fratres, sorores, consanguineos, affines, Item itinera minora, hospitalitatem, rumores nouos. &c.

Quarta ὑπογειον.

Continet significationem patris, patrimonii & eorũ quæ dicũtur bona immobilia, Item edificiorum, fundamentorum, agrorum, villarum, pratorum, thesaurorũ absconditorũ. Denotat etiã agriculturã, fodinas metallicas, & sepulturã.

Quinta ἀγαθη τυχη

Filios & filias, munera, vestiméta, delectatiões, cõuiuia, lusũ, voluptates &c.

Sexta κακη τυχη. quod tristia portendat.

Domus est ægritudinum, vitiorum corporis, seruorum, vicinitatum, & minorum animalium. &c.

Septima δυσισ.

Quæ est angulus occidentis, habet significationem de coniugio, nuptiis. mulieribus, societatibus, contentionibus forensibus ac simultatibus. Denotat etiam hostes apertos, furta, rapinas, & omnis generis scelera.

Octaua

Octaua ἐπίκοι ἀφορὰ superna porta.

Significat mortem, & mortuorum hæreditates non speratas, funus, Item timores, incantationes, veneficia &c.

Nona θεός.

Præbet iuditium pietatis, veritatis, sectæ religionis, diuinationis, somniorum, sapientiæ, peregrinationum, longiorũ itinerum, epistolarum &c.

Decima μεσουράνημα.

Culmen vel cor cœli & cuspis regalis, statum vitæ significat, regnum, principatum, dominium, honores magistratus publicos, seu publicas administrationes, magisterium, studiorum atq; artium tractandorum genus. Habet item 10. locus, peculiarem significationẽ de matre.

Vndecima Bonus dæmon.

Significat fœlices euentus, & ea quæ sequuntur statum vitæ, amicitias, fideles amicos, fauores, suffragia, consilia, felicem successum rerum speratarum, spem & fiduciam &c. Duodecima.

Malus dæmon dicitur à significatione tristium euentuum. Est enim domus seu locus *tristitiæ, ærumnarum, mœroris, laborum paupertatis, carceris, occultorum inimicorum, impostorum, meretricum*, & animalium magnorum ac ferocium, cuiusmodi sunt equi ac syluestres feræ.

Iam vt ad institutam quæstionem redeamus, & vsum huius doctrinæ mõstremus, Si voles iudicare vnde nato accessuræ sint diuitiæ vel amissio patrimonij. Ex prima propositione constabit, & qui significatores sint potentes & quot. & vtrum maior pars sit fortior, aut imbecillior. Quod si omnes fuerint fortes, quod rarissimum est, tunc secundum omnium naturam & domos, quas occupant, iudica, vnde aduenturæ sint diuitiæ ex doctrina proposita. Si non omnes fuerint fortes, sed tamen maior pars, tunc secundum eorum naturã, & domum, quam occupant, eadem ratione iudica, vnde venturæ sint opes. Secũdum autẽ eos significatores, qui imbecilles repe riuntur, de iactura opum iudicabis. Fieri enim potest, vt quis maiori ex parte accessionem facultatum experiatur, & tamen interdum damnum incurrat, quod tamen *facile resarcitur propter plura testimonia, quæ diuitias decernunt. Idem erit iudicium*, si omnes significatores, vel maior pars eorum fuerit imbecillis, minor autem pars potens. Ibi maiori ex parte ostenditur iactura opum, quamuis se tamen occasiones acquirendi facultates interdũ offerant. Eadem igitur ratione ex imbecillium planetarum natura, & domibus, quas occupant, iudicandum est de causis & rationibus amittendi opes, per quas res vel personas ventura sit amissio facultatum.

Si tot fuerint potentes significatores quot imbecilles, significatur mediocritas quædam inconstans, & quod natus iam per hos acquiret aliquid opum, per alios rursus amittet, ita tamen vt nec diuitiis affluat, nec prorsus paupertate prematur, sed retineat suas diuitias sine augmento, aut decremento insigni.

III. QVAESTIO DE DIVITIIS.

An licitis, vel illicitis modis diuitias acquisiturus sit natus.

Huius rei iudicium similiter à natura significatorũ sumitur, quæ est aut benefica aut malefica. Beneficũ significatorẽ nominamus etiã eũ, qui in dignitatibus beneficorũ cõstitutus est, etiamsi sua natura sit maleficus, Sed tamẽ

in hoc

in hoc casu fit commixtio quædam.

Cum igitur benefici planetæ sunt significatores diuitiarum, ita vt *prorsus* non participent cum maleficis, significatur nato venturas diuitias *prorsus licitis* rationibus.

Si malefici fuerint significatores, & prorsus non participent cum beneficis, contrarium significatur, Idem denotant retrogradi aut combusti, præsertim ex tribus superioribus.

Si beneficus sit sua natura significator, sed in maleficarum dignitatibus, licitis & illicitis rationibus venturas nato facultates decernit. Idem, si beneficus fuerit retrogradus aut combustus.

Quod si maleficus sit sua natura diuitiarum significator, & tamen in dignitatibus benignorum planetarum constitutus, idem significatur.

Sin acciderit vt maleficus significator in beneficorum dignitatibus constitutus, sit retrogradus aut combustus: Ibi quia conduplicatum est malum, plus illicitæ rationes valebunt q̃ licitæ.

Sic è contra si benignus fuerit in maleficarum dignitatibus, & retrogradus aut combustus, significat illicitis modis magis q̃ licitis venturas diuitias Ita ex *quatuor conditionibus scilicet natura planetæ significatoris*, & signo *quod occupat, deinde retrogresione & combustione constituendum est* de significatoris promisione. Nam si *plura testimonia vincant*, secundum ea est pronunciandum, Potest etiam his non incommodè aspectuum ratio annumerari. Nam benefici aut mediocres natura significatores, cum à maleficis hostili radio aspiciuntur, participant cum eorum natura. Malefici à beneficis amico radio fori, itidem participant. &c.

Mediocrium natura cum per se inconstans sit, plærunq; in alterutram partem magis inclinat, idq; facilè ex commixtione & configuratione eorum cum beneficis vel maleficis deprehenditur.

Satis plana hæc sunt, sed tamen lectorem requirunt mediocriter attentum, & ingenio non prorsus stupido præditum. Nequaquàm enim ex vno significato iudicandum est, sed omnia diligenter inter se conferenda & expendenda sunt, nec temerè *præceptis sine iuditio insistendum*.

IIII. QVAESTIO EST.

Vtrum durabiles & perpetuæ futuræ sint diuitiæ seu facultates.

Hoc iuditium sumitur à principali significatore diuitiarum, qui semper iis dicitur, qui est in secunda domo constitutus. Hic igitur si fuerit beneficus, & idem fortis ac potens, perpetuo & cum quadam facil.tate duraturas diuitias ostendit.

Sin debilis, durabunt quidem perpetuo, sed cum magno discrimine, ita vt sæpe difficultates in parandis & conseruandis facultatibus experiatur, sæpe etiam amittat, & easdem recuperet tamen.

Si vero maleficus fuerit in secunda, rursus considerandum est, vtrum sit fortis vel imbecillis, Si fuerit fortis, significat duraturas quidem facultates, sed cũ discrimine, ita tamen, vt plus amittat quàm recuperet, Si imbecillis, om-

nino non durabunt, sed euertentur.

De mediocribus perinde vt supra iudica, in quam partem magis inclinent.

Quod si plures planetæ in secunda constituti fuerint, eligendus & præferendus est eorum fortissimus, & secundum eius naturam iudicandum. Porro si nullus fuerit planeta in secunda, quod sæpe fit, in eo casu is planeta erit principalis significator, qui sæpius adhibetur, vt si idem planeta esset & dominus cuspidis & partis fortunæ &c. Quod si nullus significatorum sæpius q̃ semel adhibeatur, is erit considerandus, qui plurimas dignitates essentiales habet in reliquorum omnium significatorum locis, hoc est, qui est Almutē significatorum, vt Arabes loquuntur, & secundum eū, perinde vt iam dictum est, iuditium facies.

Tempus vero venturarum diuitiarum ostendunt directiones significatorum ad beneficos promissores & eorum radios.

Si quis tamen generalem rationem desiderabit, is consideret quam cœli quartam antedicti significatores diuitiarum occupent.

Si enim eorum maior pars constituta fuerit inter horoscopum & decimam domum, significat diuitias venturas in iuuentute.

Si *inter principium decimæ & occasum, in virili ætate.*

Quod si inter occasum & imum cœli constituta fuerit significatorū maior pars, in senectute opes promittunt.

A quarta domo ad horoscopum, circa finem vitæ.

Similiter orientales à Sole significatores, cito & in iuuentute opum affluentiam promittunt. Occidentales à Sole, tardius & in senecta. Idem significant retrogradi: contrarium veloces motu ac directi.

Hæc generalis doctrina & si probabilibus rationibus nitatur, tamen plus certitudinis est in directionibus, ex quarum seriè tempus, diuitiarum certius deprehenditur. Potest autem fieri, vt directiones cum his conueniant, tunc eò maior est certitudo: interdum his repugnent, tunc præferuntur directiones. Specialia enim semper generalioribus anteponenda sunt.

Exemplum primæ genituræ.

Diuitiarum significatores in hac genitura sunt.

1. *Cuspis secundæ domus, in qua emergit 16. G. 16. M. Arietis.* Sed vires domus incipiunt ab. 11. G. Arietis, & terminantur in. 17. Tauri.
2. Mars, qui signo emergenti secundæ domus dominatur.
3. Pars fortunæ quæ in. 1. G. 52. M. Virginis ponitur.
4. Eius gubernator Mercurius.
5. Iuppiter generalis significator.
6. Planeta in secunda, qui est Mars. Bis itaque hic adhibetur.

Vires horum planetarum supra examinatæ sunt, & sic se habent:

Mars omnium planetarum in toto themate debilissimus est. Et quia in secunda domo corpore adest, igitur est principalis significator, tantoq; principalior, quanto plura accedunt testimonia, vt hic dominium secundæ.

Iuppiter mediocris ferè, fortior tamen.

Mercurius omnium planetarum, in hoc themate fortissimus.

Pars fortunæ & si in angulo septimæ constituatur, tamen debilior est propter quadratum Saturni dextrum & combustionem, Quamq; eam plærique

minus

stinus nocere ei existimant, sed tamen eum sit radius Lunæ à Sole refractus, verisimile est ei combustionem perinde etiam vt Lunæ nocere.

Cuspis secundæ mediocriter se habet, cum signum Arietis nihil det, neq; quidquam adimat, neque ab vllo planeta maligno inimicis radiis, aut benefico amicis aspiciatur, nisi quis considerare velit trigonum Iouis, qui tamen eius orbis medietatem aliquot minutis excedit, sed paucis.

CONCLVSIO PRIMI MEMBRI iuxta horum 6. significatorum conditiones.

In hac natiuitate reperio vnum testimonium diuitiarum, quod à Mercurio potentè sumitur, Mediocritatis duo, sumpta à signo emergente in secunda & Ioue, quorum significatorum vterq; est mediocris conditionis in themate. Paupertatis autem tria testimonia, sumpta à parte fortunæ debili, & Martis debilissimi duplici assumptione. Vincunt testimonia paupertatis, cui mediocritatis testimonia accedunt. Mediocritas enim semper declinat ad *eam partem, quæ vincit numero testimoniorum.*

Ergo pauper erit hic natus, hoc est, patrimonium amittet, & quod proprio Marte acquiret, id quoq; non erit diuturnum, nec in thesauros reponet.

Neq; tamen adeo erit pauper, vt prorsus nihil acquirere possit, nam Mercurius dominus *partis fortunæ*, omnium planetarum est potentissimus & bene constitutus. Vincunt tamen paupertatis inditia.

CONCLVSIO SECVNDI MEMBRI. Cum constet ex superioribus de paupertate, quæritur vnde sit accessura.

Mars igitur debilis, propter res & personas, de sua natura amisionem facultatum portendit: Res, vt sunt contentiones, imposturæ, pericula à deprædationibus, *violentia, pericula ab igne vel incendijs.* &c. *Personæ, vt homines militares, audaces, conuitiatores, contumeliosi, potissimum* ruffi & cæsijs oculis, qui tamen poterunt aliquam probitatem *præ se ferre*, cũ Mars sit in Tauro, domicilio benigni planetæ.

Pars fortunæ etiam debilis, facultatum amissionem minatur, ratione tantum loci figuræ cœlestis. In septima igitur constituta, significat detrimentum à mulieribus. Item ratione simultatum & hostium apertorum, qui eum euertere conabuntur, Item à furibus. &c.

Iupiter cum mediocris sit, ostendit hunc natum à personis & rebus *Iouialibus*, modo vtilitatem modo damnum accepturum. Sed ratione sextæ domus, in qua versatur, propter eius loci significationes, vt infirmitates & alia, quibus impeditus non poterit intentus esse rei familiari.

Mercurius fortis & bene constitutus, promittit commoditatem & accessionem aliquam per ingenium & industriam, & reliquas eius significationes quas supra exposuimus. Respectu domus septime, per matrimonium, si tamen de eo constiterit, contentiones, victoriam, contractus, societates. &c. Quod autem pugnant hæc cum parte fortunæ, quę ex his rebus incõmodũ,

 signi-

significat, id sic intelligi debet, fieri posse, vt ex iis alio tempore emolumentum, alio vero incommodum percipere posit, quæ tempora in specie definiunt directiones. Sed tamen manet hoc, quod dixi supra, eum plus amissurum quàm acquisiturum.

CONCLVSIO TERTII MEMBRI.

Huius membri nulla opus est explicatione, cum significatores non promittant diuitias magnas nato, sed magis paupertatem minentur, quæ tamen ei, quasi innocenti, indigno & non merito accidet, cum Mars significator sit in domicilio Veneris, benigni planetæ constitutus. Quidquid autem parabit facultatum, id vniuersum honestissimis ac prorsus licitis modis acquiret, sine vlla suspitione, propter Mercurium fortissimum ac fortunatissimũ.

CONCLVSIO QVARTI MEMBRI.

Cum Mars principalis significator, propterea quod solus in secunda cõstituitur, maleficus sit natura sua & debilissimus omnium in themate: minatur constantem & duraturam paupertatem, quam vix vincet natus. Etsi autem hîc Mercurius, ob ingenium eximium & multiplicem eruditionem, quam nato huic tribuit, dignus esset, cui etiam eximiè diuitiarum significationes fauerent, tamen cum ea sit labes & peruersitas huius seculi, vt doctrina omnis atq; eruditio contempta & spreta sordeat, ac tantum non in odio sit apud eos qui diuitiarum & opum possessionem Ioue nimis propitio hoc tempore tenent, fit ut vniuersalis hæc & communis calamitas plus posit, ac transuersam rapiat, vt fieri solet, etiam particularem constitutionem. Neque tamen despondendus est animus, præsertim cum non dubium sit, bonis artibus & eruditione omni ad ruinam & interitum spectantibus, breui futurã Mercurii benigniter constituti, vel, vt apertius loquar, doctornm virorum magnam penuriam. Interea animo forti hæc communia incommoda ferenda sunt, ac prudentia & ratione lenienda.

EXEMPLVM GENITVRAE SECVNDAE.

Significatores diuitiarum in hac genitura sunt iuxta nostram doctrinam:
1 Secundæ domus initium, quod est. 1. G. 24. M. Piscium.
2 Eius dominus Iuppiter.
3 Pars fortunæ quæ occupat, G. 7. M. 28. Sagittarii.
4 Eius gubernator Iuppiter.
5 Iuppiter semper naturalis significator diuitiarum. Ergo ter idem erit adhibendus: primo quia est dominus secundæ, Secundo qui gubernat partem fortunæ. Tertio quia vniuersaliter gubernat facultates.
6 Planetæ in secunda domo versantes: Luna & Mercurius.

Horum significatorum vires magna ex parte supra examinatæ sunt, & sic se habent:

Cuspis secundæ est fortis ac fortunata, habet enim nouẽ testimonia fortitudinis, quia benignũ signũ est: & quia gradus emergẽs incidit in terminũ Veneris: nec sol ei radiis suis nocet, Debilitatis. 3. testimonia habet, propter quadratum

dratum Martis dextrum.

Pars fortunæ, quia in domicilio & termino Iouis constituitur, in vndecima domo, libera à combustione & radiis solis. 15. testimonia fortitudinis sortitur, quia autem Marti iungitur. 5. debilitatis testimonia habet. Vnde constat eam esse fortem & bene affectam.

Iuppiter satis est potens ob receptionem mutuam Mercurii, & si ea imperfectior sit vt supra dixi.

Luna fortis est.

Mercurius mediocris.

Cum igitur ferè omnes diuitiarum significatores fortes sint in hac genitura, decernunt natò diuitias, hoc est, patrimonium saluum, atq; ipsius nati industria insigniter auctum vel augendum. Quod si receptio Iouis & Mercurii cuius sæpe meminimus, non facta fuisset ex detrimentis, atque etiam ex alterius casu, & per quadratum, affluentiam opum significasset, quæ propter hanc constitutionem, quam dixi, contractior erit. Ditabitur autem variis rationibus cum significatores sint plures & in diuersis cœli domiciliis constituti.

Iuppiter *promittit diuitias à personis & rebus Iouialibus : Personis, vt prælatis, iudicibus, nobilibus, prouinciarum & ciuitatum præfectis, iurisperitis.* &c. Rebus vt beneficiis, honestis *commendationibus, hæreditatibus* &c. Et quia in sexta : propter fideles seruos, vel officiosa seruitia alijs præstita, propter bonos vicinos, parua animalia domestica. &c. Cumq; Iuppiter inter significatores diuitiarum ter adhibeatur in hoc themate futurum est, vt ex his rebus potissima emolumenta sentiat.

Pars fortunæ conferet diuitias huic nato per significationes vndecimæ domus, vt per fideles amicos, fautores, promotiones, sortem seu lucrum quod fit per sortem, per fiduciam, ac spem impletam. &c.

Luna ratione reginarum, honestissimarum ac nobilium matronarum, viduarum, nunciorum, legationum, peregrinationum, itinerum, nauigationum. Et quia in secunda : ob industriam & sedulitatem ipsius nati.

Mercurius *promittit diuitias à Mercurialibus personis & rebus : vtpote mercatura, negotiationibus, & negotiatoribus, viris doctis, scribis, cancellarijs, subtilib. artificibus. &c. Item ex societatibus, contractibus, pactis,* pecuniæ collocationibus. Cumque in secunda domo versetur, sua industria & vigilantia hæc consequetur, non per alios.

Porro quas Iuppiter decernit diuitias, eas honestis & licitis modis parabit natus. Natura enim beneficus est, & nullam cum maleficis participationem habet.

Quas pars fortunæ pollicetur, eandem rationem habent, cũ naturam benefici Iouis assumat, nisi forte Martis vicinitas aliquid illiciti notet.

Luna velox motu & in domicilio Iouis, licitas & honestas rationes parandi opes decernit, sed à Martis quadrato aliquid sinistri accipit.

Quæ à Mercurio promittuntur opes, licitis rationibus parabuntur, quia is assumit naturam Iouis receptione. &c. Ex his constat natum maxima ex parte opes suas paraturum honestis & licitis rationibus, quia maior pars significatorum benefica est: ac tantum Luna & pars fortunæ vexantur à Marte, vnde opes quæ ab illis decernuntur : possent in aliquam, sed tamen le-

nem suspitionem venire.

Luna & Mercurius in secunda constituti, eandem fere conditionem, ac fortitudinem parem habent. Et quamq̃ Mercurius à Ioue recipiatur, tamen cum ea receptio imbecillior sit propter extremam signi partem, præfero Lunam Mercurio, quia ad centrum domus propius accedit. Eius natura per se mediocris, benefica fit, eò quod fortis est, & in Iouis benigni planetæ domicilio versatur. Vnde tantum potest, quantum planeta beneficus, sed debilis. Proinde duraturas quidem diuitias decernit, sed tamen non citra discrimen & difficultates, ita vt sæpe amissas tamen sit recuperaturus. Amittet autem præcipuè eas, quæ à Luna & parte fortunæ promittuntur per Martiales personas & res, cum Mars eos significatores hostili radio vexet.

DE FRATRIBVS AC SORORIBVS.

Quæ ad alium quam ad ipsum natum pertinent, ea difficulter ex natiuitatibus iudicantur, nec parem cum cæteris prædictionibus certitudinem habent. De fratribus igitur & sororibus nati, si quis generale iuditium quæret, commodissime ex primogeniti natiuitate coniecturam sumet. Siquidem primogeniti genesis statũ significat fratrũ & sororũ, qui postea nascũtur. Quod si primogeniti natiuitas *haberi non possit: tamen ex aliis iuxta sequentem doctrinam iudicium institui potest.*

SIGNIFICATORES FRATRVM ET SOrorum in qualibet genitura.

1 Tertia domus, à quinto gradu proximè antecedente, vsq; ad. 5. gradus proximè antecedentes sequentem domum, vt in præcedente capite quoque dictum est, idque in omnibus domibus deinceps obseruandum erit.

2 Dominus tertiæ domus, non tantum qui emergenti signo dominatur, sed etiam intercepto, si illud contingat. Idque etiam deinceps in sequentibus domibus intelligendum est eadem ratione.

3 Mars qui semper est generalis significator fratrum, Sororum vero significatrix Luna.

4 *Planeta vel planetæ in tertia collocati.*

Si igitur hi significatores omnes aut maior eorum pars, fæcundi fuerint planetæ, & in signis fæcundis constiuti, decernunt plures fratres & sorores: Si steriles & in sterilibus signis, paucos aut omnino nullos significant fratres. Quod si testimonia mediocritatis inciderint, vt sterilis planetæ in fæcundo signo, Aut econtra: mediocris numerus fratrum & sororum significatur. Idque pro numero & potentia significatorum, qui vincunt in sterilitate vel fæcunditate augetur vel minuitur. Plærumq; enim illa mediocritas, in alteram partem inclinare solet, propterea non quod vnus, sed plures significatores considerantur.

Planetæ natura fæcundi sunt.

Iuppiter & Venus, quibus addi potest caput Draconis, cum sit naturæ Iouis & Veneris.

Planetæ natura steriles sunt:

Saturnus & Mars, his additur cauda Draconis, cum sit naturæ Saturni & Mar

& Martis.

Luminaria mediocritatem quandam obtinent, ita tamen vt Sol magis accedat ad sterilitatem propter siccitatis excessum. Lunæ vero natura propter humiditatem magis est fæcunda quam sterilis. Mercurius indifferens est, fœcundus cum fœcundis, sterilis cum sterilibus. Eius conditio tamen ex duabus præcipuis circumstantiis iudicatur.

1 Mercurius assumit naturam eius planetæ, cui aspectu configuratur, in quo semper potior aspectus est præferendus imbecilliori, vt coniunctio præfertur trigono, & hic sextili, sextilis quadrato, quadratus oppositioni. Item partilis aspectus præfertur platico.

2 Mercurius assumit naturam eius planetæ, in cuius essentiali dignitate ponitur. Hinc efficitur vt duorum planetarum naturas Mercurius assumere videatur, cum in alterius aliquo aspectu constituitur, & similiter in alterius alicuius dignitatibus versatur. Sed in hoc casu coniunctio plus valet dignitatibus essentialibus, reliqui aspectus minus q̃ essentiales dignitates.

NATVRA SIGNORVM.

Aries propter domicilium, quod Mars sterilis planeta in eo habet, & Solis exaltationem, cuius mediocritas etiam ad sterilitatem declinat, signum est magis sterile quàm fœcundum.

Taurus magis fœcundum est quam sterile signum, propter domum Veneris fœcundæ, & Lunæ exaltationem, cuius mediocritas fœcunditati quam sterilitati propinquior est.

Gemini sterile signum iudicantur, propter domicilium Mercurii, qui per se nihil certi decernit, Nec obstat quod in eo Caput Draconis exaltatur, cum non sit planeta, sed sectio tantum.

Cancer fœcundum signum est, propter Lunæ domicilium, quæ magis fœcunda quam sterilis est, & Iouis fœcundi exaltationem.

Leo propter domicilium Solis sterile signum existimatur, sicut & Leonum partus tardior & rarior est.

Virgo propter domicilium & exaltationem Mercurii, qui per se nihil perfecti tribuere potest, sterile signum est, & quamdiu aliqua virgo est, vt Pontanus inquit, non parit.

Libra mediocre signum est, magis tamen fœcundum q̃ sterile, propter Veneris in eo domicilium & Saturni exaltationem.

Scorpio cum sit signum aqueum, fœcundum æstimatur, licet Martis dominium ei aliquid detrahat.

Sagittarius fœcundum quidem censetur, propter Iouis dominium, sed detrahit ei tamen aliquid cauda Draconis, ita vt mediocritatem obtineat. Etsi autem capiti Draconis supra non tribuimus magnas vires, tamen cauda longè plus valet ad nocendum, quàm caput prodest, siquidem mala facilius nocent, quàm bona prosunt.

Capricornus } vtrunq; paucorũ liberorum signum est, propter Saturni do-
Aquarius } minum in vtroque, & Martis in altero exaltationem.

Pisces propter domum Iouis, & exaltationem Veneris, vtriusq; fœcundi planetæ, omnino fœcundum, & multorum liberorum signum est.

DE

DE FORTVNA ET STATV FRATRVM.

Ex eadem affectione significatorum de fortuna fratrum iudicandum est. Si enim omnes vel maior eorum pars fuerint potentes, fœlicem statum, hoc longam vitam, honores, gloriam, diuitias, fratribus & sororibus decernũt, vnde etiam ad natum commoditas sit peruentura. Contrà vero, obscuros, inglorios, & infœlices significant.

Quod si partim potentes, partim debiles fuerint significatores, aliquibus fratribus mediocritas fortunæ, aliquibus etiam aduersitates portenduntur, ita tamen vt semper obseruetur, in quam partem se inclinet mediocritas, Idque industriæ & acrimoniæ iudicantis relinquitur.

Hoc etiam obseruandum est: si omnes significatores vel maior eorum pars fuerint potentes, & inter eos etiam Luna bene se habuerit, Mars vero debilis, significatur sorores futuras fortunatiores q̃ fratres.

Contrà, si omnes aut maior significatorum pars fuerit potens, & inter hos Mars quoque fortis, Luna vero debilis & male affecta, significat fortunatiores fore fratres quàm sorores.

DE CONCORDIA NATI CVM FRAtribus & sororibus.

Si inter dominum primæ & tertiæ domus aspectus benignus intercesserit, concordiam & mutuam beneuolẽtiam nati & fratrum ac sororũ significat. Si malignus aspectus, contrariũ. Idem si se prorsus non aspexerint, eueniet.

Hæc quæ de fratrum fortuna & mutua beneuolentia dicta sunt, pari ratione etiam ad consanguineos reliquos accommodari possunt. Neque his diutius immorari volo, cum multo certius eadem ex cuiusque propria genitura inuestigentur. Nam quod aliqui Saturnum fratribus maioribus præficiunt, Martem medijs, Mercurium minimis, id imbecillum & admodum incertum est. Imo totum iuditium de fratribus & sororibus, nisi ex propria cuiusque genitura collata cum reliquorum fratrum ac sororum eruatur, satis est fluxum. *Ideoq; in hac parte non plus oportet sapere Astrologum, quàm par est, vt supra quã possibile sit, numerũ & particularia quæq; exacte scrutari velit.*

EXEMPLVM PRIMAE GENITVRAE.

Fratrum ac sororum significatores in hac genitura sunt.

1 Initium seu cuspis tertiæ domus: G. 21. M. 55. Tauri.
2 Venus domina tertiæ.
3 Mars semper naturalis significator fratrum.
4 Luna naturalis significatrix sororum.

Primus horum significatorum signum magis fœcundum q̃ sterile obtinet.

Secundus est planeta, natura sua fœcundus, signum magis fœcundum quàm sterile tenens.

Tertius est Planeta, natura sua sterilis, Sed occupat signum magis fœcundum quam sterile.

Quartus est planeta natura sua plus fœcundus quam sterilis, possidetq; signum

signum omnino fœcundum.

Ergo ex horum testimoniorum collectione apparet hunc natum habiturū fratres ac sorores, & quidem numerum qui mediocritatem excedat. Reliqua particularia non opus est in hoc iuditio exactè quærere.

Porro cum primi duo significatores fortes ac fortunati sint, postremi duo debiles & infortunati significatur quosdam ex ijs fore fœlices aut longeuos &c. Quosdam infœlices aut breuis vitæ: Aut certe inæqualem eorum fortunam futurā. Atq; hæc inæqualitas magis ad infœlicitatem spectare videtur.

Concordiam & mutuum amorem huius nati cum fratribus ostendit sextilis partilis inter dominum primæ & tertiæ domus: Saturnum videlicet & Venerem. Itaq; fratribus ac sororibus benigniter faciet, & eos omnibus modis prouehere conabitur.

EXEMPLVM SECVNDAE GENITVRAE.

Significatores fratrum ac sororum sunt in hoc themate.

1 G.20.M.19. Arietis occupans initium tertiæ domus.
2 Mars dominus eius signi.
3 *Mars generalis significator fratrum. Ergo Mars hic bis adhibetur*
4 *Luna sororum significatrix generalis.*
5 Sol
6 Venus constituti in tertia domo.
7 Saturnus

Primus significator horum versatur in signo magis sterili q̃ fœcundo.

Secundus, qui idem est cum tertio, natura sterilis est, sed fœcundum signum occupat. Bis igitur hæc significatio erit adhibenda.

Quartus mediocris natura, magis tamen fæcundus, constituiturq; in signo omnino fœcundo.

Quintus est planeta mediocris fœcūditatis, sterilior tamē, & in simili signo

Sextus est natura fœcundus planeta, in signo magis sterili q̃ fœcundo.

Septimus significator Saturnus, natura est sterilis, & signum magis sterile *quàm fœcundum possidet.*

Ex omnibus his significatoribus mediocritatem colligo, quæ ad sterilitatem magis declinat, Mediocrem igitur numerum fratrum ac sororum, aut certe pauciores habebit.

Et quia maior pars significatorum fortis ac potens est, erunt maiori ex parte felices, hoc est, longæui, diuites, honorati, & tales vt ab iis vtilitas ad natum peruentura videatur.

Trigonus aspectus inter dominum primæ & tertiæ, Saturnum videlicet & Martem, præ se fert, eorum concordiam & mutuam beneuolentiam. Quia autem platicus est aspectus, fortasse nonnihil interdum discordare videbuntur, facile tamen redibunt in gratiam.

IVDICIVM DE PARENTIBVS.

Hoc iuditium perinde vt superius de fratribus & sororibus nati, neq; adeo necessarium est vt plæraque alia, neque adeo certum, vt quæ de proprijs ef-

fectibus è genitura nati sumuntur. Sed tamen cum geniturae filiorum, fratrum, sororum & parentum similitudinem quandam & conuenientiam occultam inter se habeant, fit vt ex filiorum natiuitatibus cognoscantur etiam ferè parentum dispositiones & status, sicut econtra è parentum genesi qualitates, & accidentia filiorum conuersa ratione generaliter iudicari possunt. Idque tum maximè cum significatores parentum sunt insigniter afflicti, vt sæpe fit in infaustis genituris, vbi vel mater in partu extinguitur, vel infantes ex materno vtero excinduntur &c. Quare de hac quoq; parte doctrinam obseruatã & receptã breuiter addemus. Hoc monentes tamẽ, quod potissima iuditia de accidentibus parentũ è primogeniti natiuitatę sumũtur.

DE PATRE.

Significatores patris in qualibet genitura sunt.

1 Domus quarta.

2 Dominus eius.

3 Sol in diurna. Saturnus in nocturna genitura.

4 *Planeta vel planetæ in quarta domo, si qui ibi sint, etiam adsumũtur.*

Hi significatores omnes vel maiori ex parte potentes & fausti, illustrem & splendidam fortunam patris significant post natiuitatem filii. Nam de statu qui natiuitatem præcessit significare filii natiuitas non potest, cũ nondum extiterit infans. Quod si debiles infausti & impediti fuerit iidem significatores, significant humilem, abiectum et inglorium patrem. &c.

Si partim potentes, partim debiles fuerint, vt mediocritas inde colligatur erit hæc mediocritas intendenda vel remittenda, pro natura planetæ occupantis quartam domum. Et si plures in eo loco fuerint, potior dignitate anteferendus est reliquis.

Si quis autem particularia quæq; scire velit, is multo certius hæc ex propria patris genitura deprehendet. Sic etiam de matre.

DE MATRE.

Significatores matris sunt.

1 *Decima domus.*

2 Dominus eius.

3 Venus in diurna genesi. Luna in nocturna.

4 Planeta vel planetæ in. 10. domo.

Hi omnes vel maior horum pars feliciter constituta, insignem matris fortunam significat, quod si male affecti fuerint, matrem miseram & afflictam morbis ægritudinibus & alijs incommodis ostendunt.

Porro ex collatione significatorum patris & matris colligitur facile vtrius parentis status sit fœlicior futurus quo ad bona fortunę, corporis & animi. Cuius enim significatores fortiores erunt, eius status iudicandus est fœlicior, & maior futura ætas.

DE MVTVA CONCORDIA PARENTVM.

In diurna natiuitate cõsidera Solem et Venerem, & iuxta eorum inter se

com

configurationem de mutuo amore parentum iudica. Si enim Sol aspexerit Venerem benigno radio vt trigono aut hexagano, etiam coniunctione, concordiam et beneuolentiam significat. Si vero quadrato aut opposito radio, aut si in separatis signis fuerint, hoc est, si prorsus nullus aspectus inter eos intercesserit, discordia & odium significatur. Et hoc malum erit vehementius si ex angulis se aspiciant hoc modo. Item quo partilior fuerit aspectus eo maior cōcordia vel dissētio erit futura: quo magis platicus eo minor &c.

In nocturna genitura considera Saturnum & Lunam, & ex horum inter se configuratione eadem ratione de mutuo amore vel odio parentū iudica.

DE AMORE PARENTVM ERGA NAtum & vter ex parentibus natum magis diliget.

Si significatores parentum supra constituti, benigno aspectu configurantur cum domino Horoscopi. amor et concordia inter parentes & natum futura est. Contra, si maligno aspectu. Atq; inde etiam constabit vtrum pater vel mater magis diligat natum. Si enim significatores patris pro toto uel maiori parte benignè configurentur domino Horoscopi: Matris vero malignè, *pater plus diliget natum quam mater.*

EXEMPLVM PRIMAE GENITVRAE.

Significatores patris in hac genitura sunt.

1 Cuspis quartæ domus, quam occupat. Grad. 10. M. 12. Geminorum.
2 Mercurius dominus eius.
3 Sol naturalis significator patris in diurna genesi.

Primus horum significatorū fortis est omnino, Nam propter signum ipsum deinde propter trinum Veneris & Sextilem Iouis dextrum, Item terminum benigni planetæ & radiorum Solarium absentiam, 17. testimonia fortitudinis habet. Debilitatis tantum 4 propter oppositum Saturni aspectum.

Secundus itidem fortissimus est, vt supra ostendimus.

Tertius mediocris.

Cum igitur significatores maiori ex parte fortes sint & fortunati, ostendūt patris fortunam magna ex parte secundam futurā. *Sed Solis in extremo gradu* Leonis cōstitutio, & Saturni oppositus ad quartam, omnia tamen ornamenta facit imbecilliora &c.

Significatores matris in hac genesi.

1 Gradus 10. M. 12. Sagittarij occupans initium decimæ domus.
2 Iuppiter eius dominus.
3 Venus naturalis significatrix matris in diurna genesi.
4 Saturnus constitutus in decima.

Primus horum significatorum fortis est, sed presentia Saturni incommodat ei.

Secundus mediocriter constitutus. Tertius fortis Quartus similiter potens. Ergo cū maior pars significatorū matris sit bene constituta, statū maiori ex parte prosperū decernit. Neq; tñ omnino deerūt incōmoda quædā animi & corporis propter Saturnū in medio cœli, & Iouē in loco

 abiecto

abiecto, & Martis ad eum malignum aspectum.

Porro ex collatione significatorum vtriusque parentis apparet conditionem patris, quod ad bona animi, corporis & fortunæ attinet, feliciorem esse q̃ matris, atque etiam patrem matri superstitem futurum.

Concordiam & mutuam beneuolentiam parentum præ se fert sextilis inter Solem & Venerem, sed platicus. Erit igitur imperfectior.

Significatores matris melius configurati sunt cum Saturno domino horoscopi q̃ patris significatores. Ideo mater magis diliget natum q̃ pater, & è contrà, natus magis amabit matrem q̃ patrem.

EXEMPLUM SECUNDAE GENITURAE.

Significatores patris sunt in hac genitura.

1 G.16. M.45. Tauri in cuspide quartæ domus constitutus.

2 Venus domina eius.

3 Saturnus, qui in nocturna natiuitate semper est significator patris.

Horum primus fortis est: nisi quod ei aliquid incommodat caput Algol.

Secundus est debilissimus.

Tertius itidem debilis.

Cum ergo maior pars significatorum debilis sit, patri maiori ex parte humilem fortunam difficultates & pericula mortis violentæ portendunt.

Matris significatores in hac genitura sunt:

1 Gradus.16. M. 45. Scorpij in cuspide decimæ domus constitutus.

2 Mars dominus eius.

3 Luna in nocturna genitura semper generalis significatrix matris.

Horum significatorum primus mediocris est.

Alter potentissimus in toto themate.

Postremus itidem fortis.

Hi igitur sic constituti promittunt matri maiori ex parte felicem statum.

Porro ex collatione significatorum vtriusque parentis, euidenter patet, matrem, quoad fortunæ, corporis & animi bona fortunatiorem patre futuram atq; etiam longæuiorem.

Saturnus & Luna in signis separatis, hoc est se mutuo non respicientibus, arguunt discordiam inter parentes.

Cumque significatores patris maiorem conuenientiam cum Saturno domino horoscopi habeant quam matris significatores, ostenditur natum hunc plus diligi à patre quam matre.

DE SIGNIFICATIONIBUS EXCELlentis fortunæ ex metallicarum fodinarum cultura.

Successum & fortunam insignem ex fodinarum metallicarum cultura duabus regulis, à plurimarum geniturarum in hoc genere diligenti consideratione sumptis, trademus: explicaturi & illustraturi has obseruationes alibi copiosius exemplis iucundis & memoria dignissimis. I.

Saturnus dominus quartæ domus, aut in quarta domo figuræ cœlestis, constitutus.

ſtitutus in domicilio uel exaltatione ſua, directus, uelox motu, & beneficis planetis amico aſpectu configuratus, ex fodinarum metallicarum cultura opum et diuitiarum affluentiam ſignificat. Et quo fortior eo in loco fuerit, tā to euidentior erit effectus. Ita conſtitutus fuit in themate Magnifici viri, Virtute, prudentia & eloquentia præſtantis Domini Iacobi Fuggeri ſenioris qui floruit imperante Maximiliano Cæſare, cui etiam chariſſimus fuit. Hic cum generoſis dominis Turzonibus facta ſocietate, ex auri venis metallicis in Vngaria incredibiles & immenſos fructus percepit aliquot annis continuis, adeo vt huius viri fortuna ſe ad omnem eius familiæ extenderit poſteritatem. Et poſſem aliquot exempla commemorare eorum, quibus Saturnus hoc modo conſtitutus, maximas diuitias tantum ex metallicis paucorum annorum ſpatio largitus eſt.

II.

Dominus quartæ domus receptus ex dignitate eſſentiali ab alterutro luminarium, vel alterius luminaris diſpoſitore, ſimiliter inſignem fortunam ex metallicis fodinis decernit. Huius rei quoque exempla quamplurima ſcio, ſed memorabile eſt thema viri nobilis & præſtantis Domini VVeickmoſeri, in quo Luna quartæ domus domina recipitur ex altitudine à Sole cum Venere in *ſecunda conſtituto. Pater huius cum fodinas infeliciter tractaſſet, adeo vt etiam ære alieno præmeretur, moriens præ dolore animi (vt audio) filio hæreditatem, non leuiter obæratam reliquit,* quam cum ille adire recuſaret exoſus metallica ob patris infelicitatem, tamen à Reuerendiſsimo principe Matthæo Lango Cardinali & Epiſcopo Salisburgenſi, domino ſuo, vt fodinas à patre coli cæptas continuaret, promiſſa ſumptuū parte perſuaſus eſt. Cumque iam tractare cepiſſet, non ita multo poſt, ea fortuna ſe obtulit, vt paucis annis incredibilem auri vim ex metallicis collegerit, atque etiam ad huc colligat quotannis, adeo vt diuitiis non inferior ſit opulentiſsimis in tota Germania familiis.

Eadem conſtitutio eſt fere in genitura viri Ornatiſsimi, Nobilitate generis, Virtute & autoritate præſtantis Domini Ioannis Roſenbergeri, Mœcenatis & hoſpitis mei perpetua fide & pietate digniſsimi, cui Saturnus in quarta domo & in altitudine *ſua* conſtitutus eſt. Et Mercurius dominus quartæ *receptus eſt à Venere, alterius luminaris gubernatrice. Quæ conſtitutio ex metallicarum fodinarū cultura inſignē fortunā decernit. Sed tamen* tardiorem, propterea quod Saturnus eo in loco retrogradus eſt. *Id quod etiā dire*ctiones oſtendūt, quæ demū inſignē ſucceſſum circa annū ætatis eius 48. 49. 50. 51. promittunt. Huius viri cum publico honore totius Reip. litterariæ mentionem hic facio, ob eximium eius amorem & beneuolentiam, qua honeſta ſtudia & ſtudiorum cultores humaniſsimè complectitur, fouet, & omni ratione tuetur & prouehere ex animo conatur, qui me iactatum varijs odiorum procellis ob hæc ſtudia, humaniſsimè & benigniſsimè excepit, fouit, defendit contra iniuriam, iuuit conſilio & re, ac totum triennium, quod in hoc difficillimo condendarum Ephemeridum calculo conſumpſi, intra ſuos parietes liberaliſsimè ſuſtentauit. Cuius denique impenſis ac ſumptibus, ſane non mediocribus, hoc Ephemeridum opus in lucem ex typographorum officina prodit, cuius ſi qua eſt, vt ſpero, vtilitas futura, eam velim non tam mihi q̃ inclytæ Roſenbergerorum familiæ gratam haberi, atque acceptam referri ab harum artium ſtudioſis.

DE

DE INFIRMITATIBVS ET morbis corporum.

Valetudo corporis cognoscitur.

1 Ab horoscopo & domino eius.

2 A luminaribus, Sed magis á Luna quàm à Sole.

3 A sexta & domino eius.

4 A planeta vel planetis in sexta domo.

In horum significatorum quolibet duo sunt consideranda: primo an sit fortis vel imbecillis: Secundo an liber sit à malignis radijs Saturni & Martis.

Quod si omnes hi significatores aut saltē eorum maxima pars fuerint fortes & liberi ab oppugnatione hostili maleficarum stellarum, significant corpora sana & valida, qualis est constitutio in themate Ottonis Hervvardi patritij Augustani, qui quoad pueritiæ vltimam memoriam recordare potest, non meminit se ægrotū decubuisse. Contrà, si omnes vel maior pars debiles fuerint, & afflicti à maleficis, aut obsessi, corpora reddunt imbecillia & multis morbis obnoxia. Talis fuit constitutio in genesi Illustris viri domini Antonii de Leua. *qui sub auspiciis Caroli V. Imperatoris maximas res bello feliciter gessit, valetudinarius et in lectica circumlatus. Item clarissimi et prudentissimi viri Bilibaldi Pyrkhameri, patritii et Senatoris Norimbergensis, qui domi suæ assiduo feré decumbens valetudinarius, totam tamen Rempub. Norimbergensem consilio & autoritate sua feliciter administrauit.*

Et quo plura testimonia sanitatis repereris, eo paucioribus morbis natū obnoxium fore pronunciabis. Quo plura testimonia infirmitatum, eo pluribus morbis. Ex his etiam facile colligi potest, vtrum aliquis sæpe ægrotabit in vita sua, quod fiet, si plures significatores fuerint imbecilles aut infecti à maleficis, aut vtroq; modo afflicti.

Porro de Saturno & Marte secundum hanc rationem sequitur, quod vterque posset esse & significator & autor morborum simul, vt si alter eorū sit dominus Horoscopi vel sextę, & vtroq; incommodo laboret, sit videlicet & imbecillis & infectus ab altero: *Interdum significator tantum, cum videlicet alter eorum tantum imbecillis est, aut tantum læsus* ab altero. Aliquando vero autor duntaxat, cum videlicet ipso non existente significatore, suis malignis in radiis ipsos significatores inficit. Reliqui planetæ omnes tantum possunt significatores esse, non etiam autores. Ideoq; dupliciter affligi possunt, et propria imbecillitate, & malignis radiis Saturni & Martis. Quod si duobus his modis simul affligantur significatores effectus erit eo vehementior. Si vno, vtpote imbecillitate propria, aut solo aspectu maleficorum, minus malum erit, Sed malum tamen. Et quidem eo vehementius, quo partilior fuerit ille aspectus, & magis ex angulo oriatur. Hoc prolixius moneo, vt in colligendis testimoniis infirmitatum aut valetudinis cautior sis. Et hactenus quidem an futurus sit natus sanus vel infirma valetudine, & an sæpius ægrotabit, Item an vehementer ægrotabit. Restat nunc diuinatio de generibus morborum.

Genera morborum qui natum infestabunt, depræhenduntur ex natura eo

rum significatorum, qui aut debiles sunt, aut maleficis infecti aut vtroq; incommodo simul laborant. Deinde ex natura signi Zodiaci, quod significatores illi occupant. Item ex natura malefici, qui significatores infestat. Deniq; pro natura signorum, in quibus malefica infestans alios reperitur.

♄ Significator vel etiā autor infirmitatis, significat
- Aurem dextram
- Splenem
- Vesicam
- Ossa
- Dentes

Horum mē brorū infirmitates, vt sunt omnes morbi frigidi, qui oriuntur ex defluxu humorū ad mēbra
- Lepra
- Cancer
- Paralysis
- Tabes
- Ictericia nigra
- Quartana febris
- Iliaca passio
- Hydrops
- Pernitiosi catharri.

♃ Significat
- Pulmonem
- Costas
- Carthilagines
- Epar
- Arterias
- Pulsum
- Semen.

Et horū mēbrorū affectiones
- Peripneumoniam
- Apoplexian
- Pleurisin
- Spasmum
- Cardiacam
- Anginam
- Cōuulsionē & stuporē &c.

Et morbos q̃ ex flati. aut fœtore oriunt̃ aut putrefactiōib⁹.

♂ significat
- Aurē sinistrā
- Fel
- Renes
- Venas
- Pudenda.

Et horū morbos
- Pestem
- Apostemata feruentia
- Acutas febres
- Ictericiam flauam
- Eresipelas, carbūnculos, fistulas
- Epilepsian
- Dissenteriam
- Tertianam & quotidianam febrim
- Vulnera, præsertim in facie.

Et omnes ægritudines calidas & siccas.

☉ Significator infirmitatū affligit hęc membra.
- Cerebrum
- Neruos
- Cor
- Visum
- Oculum dextrum

Horū membrorū morbi sunt
- Syncope.
- παλμὸσ
- Cordiaca.
- Ophthalmia
- Fluxus oculorum

♀ Significat
- Matricem
- Renes
- Genitalia
- Mamillas
- Guttur
- Lumbos
- Epar
- Sperma

& affectiones horum membrorū vt,
- Passiones matricis, suffocationem. &c.
- Gonorrheam.
- Diabeten, priapismum.
- Epactis & stomachi imbecillitatem.
- Scabiem gallicam.
- Lienteriam
- Frigus stomachi.

☿ signi

☿ Significat
Cerebrum
Spiritus
Imaginationem
Memoriam
Linguam
Manus & digitos.

Horum morbi sunt
Mania.
Priuatio sensus cōmunis.
Lethargus.
Deliria omnis generis.
Balbuties & linguę impedimenta, raucedo.
Morbus caducus.
Tussis.
Abundantia sputi.

☽ Regit & significat
Cerebrum
Oculū sinistrū viri, vel dextrū mulieris
Ventriculum
Intestina
Vesicam
Gustum

Et horum membrorū ægritudines vt,
Epilepsia.
Παραλυσις
Colica.
Menstrua.
Apostemata flegmatica.
Oppilationes.

Hactenus *ostendere conati sumus, qui morbi à quolibet planeta significentur. Neque tamen hæc ita accipienda sunt, quasi eos morbos simul omnes afferret significator infirmitatum.* Sed hæc ex aliis circumstantiis iudicanda sunt, vt natura signorum & locorum cœli, aspectu ad luminaria, & similibus, Exempli gratia. Saturnus significator vel autor infirmitatum, multos quidem morbos significat in genere, sed in signo aqueo & à Sole combustus in sexta, leprā tantum portendit. &c. Hæc specialia iudicia tradere hoc loco non est nostri instituti. Satis est hic indicasse generalem rationem componendi iuditia aptam omnibus genituris. Quæ vero specialia sunt, vt aphorismi, & quæ ab obseruatione, experientia, & multarum circūstantiarum consideratione pendent, ea derogant postea his generalibus regulis. Harum in alio nostro opere iustam explicationem breui habebis.

Nunc eadem ratione & ordine exponemus, quibus membris duodecim signa Zodiaci præsint & significent.

Aries significat caput & capitis partes, faciem, oculos aures, dentes, barbam &c. & harum partium affectiones, ut vulnera in facie, dolores oculorum, surditatem, dolores dentium, pustulas, & neuos in facie, impetiginem &c.

Taurus	Collum, ceruicem, guttur, vocem &c.
Gemini	Humeros, brachia, manus, scoptulas.
Cancer	Pulmonem, pectus, costas, mamillas, epar, splenem.
Leo	Cor stomachum, dorsum, latera, diaphragma.
Virgo	Ventrem, intestina, diaphragma.
Libra	Lumbos, vmbilicum, renes, femora, nates, vesicam.
Scorpio	Pudenda, vesicam, anum.
Sagittarius	Coxas, femora.
Capricornus	Genua.
Aquarius	Tibias.
Pisces	Pedes, talos.

Ex hac doctrina vtrunq; poteris conijcere, qui morbi natum maxime sint afflicturi. Quę vero ad particularem coniecturam pertinent de vitiosis corporibus, hoc est, læsionibus membrorum per ferrum, lapsum ab alto, ignem &c, cœcitate, uitijs li guæ perpetuis, distorta forma corporis claudis, gibbosis, & similibus, ea requirunt vt dixi, singularem considerationem, & aphorismis iudicantur, neq; à nobis hoc loco sed alibi tradentur.

AN CVRABILES FVTVRI SINT morbi vel incurabiles.

Si benefici planetæ loca significatorum vel autorum feliciter aspexerint morbi erunt facile sanabiles. Si non aspexerint, immedicabiles. Et in hoc iudicio obseruandus est etiam aspectus partilis & platicus, quo magis partilis fuerit, eò facilius curabitur morbus, quò magis platicus, eò difficilius curam admittet.

DE SERVIS ET FAMILIA.

Significatores seruorum & familiæ in omni genitura.

Sexta domus.

Dominus eius.

Mercurius, qui semper est generalis significator seruorum.

Planeta, vel planetæ in sexta.

Hi significatores si uel omnes vel maior eorum pars, natura benefici fuerint aut fortes, significant natum habiturum numerosam familiam, & multos seruos, eosq; obedientes frugi & commodos.

Contrà, quando sunt natura malefici aut debiles.

Hinc constat duo consideranda esse in significatoribus, naturam quę est aut benefica aut malefica, deinde fortitudinē aut debilitatem, Si vtrumq; simul significatori acciderit vt sit & beneficus sua natura & fortis, significatū *erit eo euidentius, Si alterutrum tantum mediocritas inde quasi constituitur,* quæ deinde ex reliquorum *significatorum testimoniis intendenda* vel remittenda erit.

Ex iisdem significatoribus eadem ratione de paruis animalibus & commoditatibus euenturis nato ex iis iudicari potest.

EXEMPLVM PRIMAE GENITVRAE

Significatores valetudinis in hac genitura sunt.

1 Angulus ascendentis, fortis quidem per se, sed tamen ab vtraque malefica infestatus, Nam Mars gradum Ascendentis partiliter □ radio ferit: Saturnus vero signum interceptum.

2 Saturnus dominus signi horoscopantis, bene affectus, nec à Martis radio hostili oppugnatus.

3 Iupiter dominus signi, quod in prima domo intercipitur, mediocriter

 affectus,

affectas, sed tamen læsus □ Martis partili.

4 Sol mediocriter hic constitutus.

5 Luna debilis, & a Saturno per quadratum sinistrum infecta, idque ex angulis fit.

6 Domus sexta, fortis, fortunata & à maleficorum radiis hostilibus libera.

7 Luna gubernatrix sextæ domus, debilis, & à Saturno læsa. Hæc bis ad considerationem adhibetur.

8 Iuppiter sextam domum occupans, mediocris per se quidem, sed à Marte oppugnatus. Hic similiter bis adhibetur.

6 Caput draconis in sexta domo, satis bene constitutum.

Ex his significatoribus reperio quinq; testimonia infirmitatis, tria sanitatis, vnum mediocritais, quod quidem ad infirmitatem quoq; declinat, velut ad partem numero testimoniorum vincentem. Pronuncio igitur corpus nati fore imbecille ac multis morbis obnoxium, Inter quos vehementiores erunt, qui à Luna portenduntur morbi. Nam Luna significatrix morborum duplici modo afflicta est, & propria imbecillitate, & maligno Saturni radio, qui quidem, quod ex angulo procedit, maius nocendi robur assumit. Qui autem à Ioue & horoscopo portenduntur, erunt remissiores & minus sæui. *Nam hi duo significatores solo aspectu maleficarum affliguntur, non propria imbecillitate.*

Genera infirmitatum in hac genitura, potissimum à Luna decernuntur & Ioue, quia isti sunt imbecilliores, ac magis afflicti à maleficis, & bis ad considerationem adhibiti: Luna igitur pro sua natura cerebri, oculi sinistri, ventriculi, & intestinorum affectiones & morbos portendit, quales sunt Epilepsia, paralysis, colica, phlegmatica apostemata oppilationes &c. pro natura signi in quo decurrit, significat tibijs et pedibus, quibus partibus etiam horoscopi signum Aquarius minatur.

Iuppiter, epatis, pulmonis, arteriarum & seminis corruptionem ostendit peripneumoniam, spasmos, conuulsiones, stuporem & alios morbos, qui ex flatibus & putrefactione oriuntur. Pro natura signi consentit in aliquibus cum Luna, vt ventriculi imbecillitate &c.

Saturnus autem & Mars, qui hos duos inficiunt, pro natura sua, & signi, quod occupant, infirmitates minantur.

Porro ex his infirmitatibus quædam sunt, quæ fortasse natum sæpius infestabunt, ut Epatis & ventriculi imbecillitas, quæ à Luna & signo Iouis portenditur. Sed hæc particularia non tam vniuersalibus regulis iudicantur, quam aphorismis: quales sunt dominus primæ in sexta, valetudinarium significat, & si is fuerit Iuppiter à Marte infectus, Epatis inflammationes significabit, quod etiam in hac genitura fit. Sed non voluimus iudicium componere hoc loco ab aphorismis, quorum copiam singulari diligentia & ordine pulcherrimo collegit in libello suo Genethliaco Albubater Arabs.

Morbi, quos Luna & Mars decernunt, erunt immedicabiles. Quia benefici nullos prorsus amicos radios eis impertiunt. Quos horoscopus, Iuppiter & Saturnus denotant, facile curationem admittent, propter beneficorū aspectum benignum.

Quod ad seruos attinet, mediocriter se res habet, eruntq; partim fideles morigeri & commodum domini quærentes, partim etiam non satis frugi & fideles

EXEMPLVM SECVNDAE GENITVRAE.

Significatores valetudinis.
1 Angulus ascendentis fortis quidem per se, sed à Saturno per quadratū dextrum infestatus.
2 Saturnus dominus horoscopi, liber ab hostili radio Martis, sed per se imbecillis.
3 Sol potens, sed coniunctus Saturno, ita tamen, vt propter Venerem vtriq; intercedentem, minus noceat malefici coniunctio.
4 Luna per se potens, sed quadrato Martis infecta.
5 Domus sexta satis fortis & fortunata, libera à maleficorum inimico aspectu.
6 Mercurius dominus sextæ mediocris & potentior, neq; à maleficis oppugnatus.
7 Iuppiter in sexta per se fortis, nec à maleficis partiliter afflictus.
8 *Cauda Draconis in sexta, male affecta sed minus potest coniuncta Ioui* πλαστικῶσ, *qui ibi corpus sanum significat. Cauda Draconis* vero contrarium. Potior autem est vis Iouis Planetæ q̃ Caudæ, quæ tantum est linea. non stella &c.

Hi significatores mediocritatem valetudinis decernunt, cum paria fere sint testimonia sanitatis & infirmitatum. Magis tamen ad sanitatem hæc mediocritas declinat, propter Iouem in sexta constitutum, fortem, & à maleficis nihil incommodi patientem. Nã ita constitutus Iupiter, ferè semper sana corpora largitur, vt in aphorismis Astrologorum dicitur. Maiori igitur ex parte sano erit corpore & valetudine integra hic natus. Quas autem habebit infirmitates, eæ significantur à Luna & Horoscopo, nonnihil etiam à Sole & horum promissoribus, Marte ac Saturno, quorum hic etiam significator est, cum sit dominus horoscopi & per se imbecillis. Potissimum vero *à Luna & Marte ostenduntur, quia eorum quadratus* aspectus est valde partilis, & fit ex locis *succedentibus angulo, Eruntq;* ob eandem causam morbi ab his decreti vehementiores reliquis, qui tantum ex cadentibus ab angulo locis, portenduntur.

Sed quales sint morbi Lunares ac Martiales, facile ex præcedenti doctrina aliquis deprehenderit, nec opus esse arbitror his diutius immorari

Erunt autem morbi omnes, qui portenduntur facile curabiles, præter eos qui à Marte & Luna significantur, Nam hi cum beneficis nullam configurationem habent.

Quod ad familiam et seruos attinet, satis euidens est significatio, eos maiori ex parte domino fidos et frugi futuros. Nam caudæ Draconis malitiam vincit Iuppiter ei platicè coniunctus.

DE CONIVGIO.

Antiquissimam & in maxima humani generis parte obseruatam coniugiorum rationem fuisse, vnius maris & vnius fœminæ legitimam coniun-

ctionem sacræ litteræ testantur, Statim enim post creationem hominum expresse traditum est hoc mandatum. Erunt duo in carnem vnam, id est inseperabiliter iuncti. Postea vero ex historiarum lectione manifestum, hoc quoque est, quod quo quæq; gens plus honestatis & disciplinæ habuit, eo etiam coniugia habuerit ordinatiora & vagas libidines ac illicitas commixtiones sæuerius puniuerit, Ideo coniugiorum consideratio de tali coniunctione, nō de illicitis cohabitationibus, & amoribus intelligi debet. Nam vbi plures vxores simul haberi possunt, qualis est nunc confusio barbarica apud Mahometanos & in maxima Aphricæ parte, vel vbi ex constitutionibus plurima coguntur in impuro cœlibatu viuere non valet hæc doctrina, Sed ibi, vbi liberrimū est vtrūq;, vt olim apud omnes gentes vtrumq; liberū fuit omnibus.

Porro cum coniugiorum doctrina ampla & vtilis sit, & multas habeat circumstantias atq; ad vtrumq; sexum pariter referatur, aliter tamen de masculorum, & aliter de femellorum matrimonio iudicetur, distinguemus hæc iuditia in sua capita, & primum masculorum coniugia considerabimus.

IN VIRORVM CONIVGIIS CON-
siderandi sunt hi significatores.

Luna & Venus, *quæ duæ stellæ in virorū coniugiis potissimū locū habēt.*

Domus septima, & dominus eius.

Planeta vel planetæ in septima domo constituti.

Ex horum significatorum consideratione multæ circumstantiæ coniugii iudicari & explicari possunt.

I. Primo: An abhorreat natus à coniugio nec ne, & vtrum ducturus sit vxorem, vel cœlebs mansurus.

II. Deinde vtrū facile vel cū magna difficultate sponsā impetraturus sit.

III. Tempus: an in prima adolescentia vel post maturam ætatem coniugio implicabitur.

IIII. Numerus coniugum, an aliquoties sit iteraturus coniugium, vel vnam tantum vxorem habiturus *in vita sua.*

V. *Quales decernantur vxores, nū formosæ, nobiles, opulentæ, honestæ, vel deformes, obscuræ, viles, pauperes, infames, aut malis moratæ moribus.*

VI. De mutuo amore coniugum, & reliquis quæ ad felicem coniugii statum pertinent.

Primam questionem vtrum habiturus sit natus vxorem nec ne, variis regulis explicarunt nonnulli, quas volens omitto, quia parum certitudinis habent, & generalem modum iudicandi, qui experimento probatus est, & probabili ratione nititur tradam.

I. Considerare oportet omnes significatores, quomodo affecti sint, Sed inter hos potissimum Lunæ & Veneris positum, quæ si ambæ in signis sterilibus, vtpote Virgine, Leone, Geminis, atque etiam in locis figuræ cadentibus, tertia, 6. 9. 12. item octaua, propter malignitatem loci, constituantur, coniugiū negant, & viros cœlibes. aut à coniugio alienore animo reddunt. Quod si reliquorum coniugij significatorū testimoniū accesserit, vt sint similiter in signis sterilibus, & domibus cadētibus, effectus eo erit euidentior.

Hæc doctrina bonis rationibus est firmata. Quemadmodum enim significato-

cato-

catores fratrũ vel liberorũ constituti in signis sterilibus, atq; in locis cœli ab iectis, nullos fratres aut liberos decernũt, ita quoq; significatores matrimo nij, & potissimũ præcipui scilicet Luna & Venus, cum in eiusmodi signa & loca incidunt, coniugiũ abnegant. Per similis est enim cœlibatus sterilitati.

II. Quod si dicti significatores, & potissimum præcipui ex his, videlicet Luna & Venus non ita constituti fuerint, vt iam dixi, vide num alterutra debilis, coniuncta sit Saturno potenti, sola, & absq; alijs planetis, altera simul existente in sterili signo, aut loco cadente, aut alias insigniter afflicta Oportet autem semper in hoc casu Saturnum esse potentem. Quod si Luna aut Venus fuerint potẽtiores, Saturnus vero debilis, irrita vt plurimũ erit regula.

Similis ratio est, et idem significatur, vbi Saturnus proximè supra vtramque significatricem coniugij stellam, videlicet Lunam & Venerem simul eleuatur, ita vt nullus interueniat planeta, quia in hoc casu eleuatio Saturni similis est tali coniunctione.

Hoc præceptum quoque euidentem rationem habet. Luna enim & Venus affectionem nati erga rem vxoriam & legittima connubia significant, quarum alterutra infœliciter iuncta Saturno autori monasticæ seu solitarie vitæ, hoc est cœlibatus, tollit eam affectionem animi, quæ ad contrahendum matrimonium incitaret natum, quæ si abfuerit, nunq̃ ducet vxorem.

Hoc tamen memineris quod supra dixi, etiam reliquos significatores coniugij eodem modo examinandos: vtrum sint in signis sterilibus, domo cadente, aut imbecilles coniungantur. Saturno potenti. Nam si horum testimonium ad Lunam & Venerem afflictam accesserit, sine dubio animus à cõ iugio & re vxoria alienus erit.

Item quod Venus Saturno opposita, vel in eius quadrato aspectu, etiam plurimum valeat ad cœlibatum, Luna tamen simul existente in signo sterili vel loco cadente. Idque magis si ex reliquis significatoribus etiam aliqui in signis sterilibus, vel locis cadentibus constituuntur. Sed Luna opposita Saturno vel in eius quadrato aspectu, minus nocet & imbecillior est, q̃ vt tale quid piam minetur, etiamsi Venus simul sit in signo sterili &c.

VTRVM FACILE VEL MAGNA CVM DIFFI cultate sponsam sit impetraturus natus.

Hac, & sequentibus quæstionibus non est opus, vbi constiterit de cœlibatu. Si vero fuerint significationes coniugij, quæruntur etiam reliquæ circumstantiæ, Porro huius quæstionis iuditium sumitur ab omnibus coniugii significatoribus, quorum si maior pars fortis fuerit, facilè impetrabit sponsam eoq; facilius, quo plures fuerint fortes. Si debiles, difficilius: eoq; maiori cũ difficultate, quo plures fuerint debiles. Quod si oẽs ita affecti fuerint, sæpe excidet sponsa, & magnã in ambiendo difficultatem experietur. Si partim potentes, partim debiles fuerint, ita vt mediocritatẽ significare videantur, respiciendũ est ad Lunã & Venerem, & pro eorũ statu significatio mediocritatis intendenda vel remittenda erit. Nã si illæ duæ etiam in numero imbecillium significatorũ fuerint difficultatem magis q̃ facilitatem minantur.

Considerandæ est etiam natura significatorum, Nam benefici fœlicem successum significãt, eoq; magis, si fuerint fortes. Malefici aduersitat & difficultatem

ficultatem, & eo maiorem, si imbecilles fuerint: Sin fortes, largiuntur quidem aliquid, sed tamen non citra difficultatem.

Est autem solerti industria & acri iuditio opus in his consyderationibus, propter magnam & prope infinitam circumstantiarum varietatem in significatoribus quæ regulis omnes nequeunt compræhendi, aut ita describi, vt pariter omnibus casibus satis faciant. Nos summā operā dedimus, vt quoad fieri posset, iuditia extenderemus ad generalem quandam rationem, vt omnibus genituris accommodari possent.

TEMPVS CONIVGII.

Si omnes significatores coniugii, vel eorum maior pars, & inter hos etiam Luna, à Sole orientales, et in quadrantibus cœli orientalibus fuerint, vtpote 10. 11. 12. vel 4. 5. 6. domibus, in prima adolescentia coniugium futurum significant, aut post maturam ætatem iuuenculam vxorem decernunt.

Occidentales à Sole, & in occidentalibus quadrantibus figuræ cœli, vel tardius contracturos matrimonium, vel in iuuentute viduas, anus, natu grandes ducturos denotant.

Præter hæc etiam considera motus significatorum, Qui si fuerint directi & veloces motu, decernunt similiter coniugium in adolescentia, vt orientales. Retrogradi, tardi motu vel stationarij, tardius &c.

Hæc omnia simul in iuditiū assumi, & inter se conferri debent. Vbi vero in collectione testimoniorum in vtramq; partem declinant significatores inter se discrepantes, iuditium ferendum est secundum eos significatores, cum quibus consentiunt Luna & Venus, præcipue vero Luna.

DE NVMERO CONIVGVM.

Generalis regula est: considerandos esse omnes significatores coniugij, qui *si omnes vel maiori ex parte in signis aqueis, hoc est fęcundis, vtpote Cancro, Scorpione, Piscibus versentur, decernunt. fere plures vxores. Contrà, si in sterilibus, vt sunt Virgo, Leo, Gemini.*

Veruntamen ex significatoribus omnibus præcipuū & euidentissimum iuditium prębent Luna & Venus, quia potiorem significationē in matrimonio virorum obtinent, adeò vt Luna in septima domo, in quocunq; sit signo, propter suam, & loci naturam, fere semper plures vxores decernat, nisi sit insigniter à Saturno, & radijs Solis impedita.

Specialiora autem sunt hæc iuditia:

1 Luna cōiuncta vnico tantū planetæ siue πλαστικῶσ siue μοιρικῶσ, tantum vnicam vxorem designat. Vbi hoc simul obseruatione dignissimum notabis, cum Luna vnico tantum planetæ est coniuncta, & potentior est q̄ is cui coniungitur, maritus vxori superstes erit: Si vero planeta cui vni Luna iuncta est, potentior fuerit q̄ ipsa Luna, maritus præmorietur vxori. Huius iuditii plurima habeo experimenta.

Si

2 Si luna nullis planetis iungitur corpore, considera quot eam planetæ directi, liberiq; à radiis Solis, nec in detrimento vel casu suo, partiliter aspiciant, vel ei iungantur corpore, ita tamen vt Luna eis, non ipsi Lunæ applicent. (Solis autem configuratio ad Lunam non consideratur.) Nam inde numerum vxorum coniicies. Consideranda est præterea simul qualitas signi vel signorum in quibus planetæ Lunam aspicientes, vel ei iuncti constituũtur. Fœcundum enim aut bicorporeum signum, duplicat numerum vxorum.

3 Quod si id non fit, videlicet vt Luna applicet planetis, qui eam aspiciant aut ei iungantur, vide quot planetæ directi, & à combustione radiisq; solis liberi, constituantur inter medium cœli & Venerem, progrediendo à medio cœli versus horizontem orientalem, tot enim habebit vxores natus.

Si intermedij planetæ retrogradationis aut combustionis vitio laborauerint, & tamen in suis essentialibus dignitatibus fuerint, puta domicilio vel exaltatione, vel mutua receptione ex iisdem dignitatibus, etiam in numerum adsumuntur.

4 Vbi neque huius regulæ vsus esse potest, considera quot planetæ dominũ septimæ domus partiliter aspiciant, siue sint illi retrogradi siue combusti, & inde numerum vxorum collige. *Fieri autem vix potest, quin harum regularum vna saltem se accommodet ad vsum. Habes igitur vniuersalem quandam & simul specialem doctrinam in hac parte.*

QVALES DECERNANTVR nato vxores.

Hoc iuditium magis constat ex aphorismis & specialibus præceptis, quàm generali seu vniuersali doctrina. Attamen vt ordinem hactenus obseruatum sequamur, sit hæc generalis obseruatio. Vbi de numero vxorum constiterit, ex planetis Lunam aspicientibus, vel ei corpore iunctis, ea ratione vt in præcedenti loco dixi, videlicet Luna ad eos applicante. &c. tunc considera naturam planetæ vel planetarum, Lunam sic aspicientium per coniunctionem vel *alium radiũ, & ex eorum natura iuditium sume de qualitate vxorũ.*

Saturnus vxorem promittit Saturninam, hoc est (si bene afficitur) taciturnam grauem, consultam, parcam, laboriosam. &c. *Malè affectus*, tetricam, morosam, suspicacem, pertinacem, inuidam, pigram. &c.

Iuppiter si feliciter constituatur, piam, mansuetam, castam, nobilem, honestam, æconomicam. &c. Si infeliciter, significat quidem eas virtutes, sed fucatas imperfectas, & coniunctas cum aliqua labe.

Mars bene affectus, cordatam, animosam, impatientem seruitutis & iniuriarum, vindictæ & dominii cupidam, iracundam. &c. Malè affectus, rixosam, contumacem, violentam, sumptuosam, infamem. &c.

Venus si feliciter constituatur, formosam, lepidam, suauem, vrbanam, affabilem, honestam. &c. Si *infeliciter*, decernit eadem, sed imperfectius & simulatum quiddam.

Mercurius bene affectus, ingeniosam, circumspectam, facundam, sagacem & victui parando idoneam. &c. Malè affectus, callidam astutam, mendacem, aliud corde aliud ore præmentem, instabilem, maliciosam. &c.

Lumi

Et hæc quidem ad animum pertinent. Quod ſi de ſtatura corporis etiam coniicere aliquid libet, compone iuditia ex doctrina de natura planetarum & ſignorum in figura & configuratione corporis conſtituenda, quam ſupra de forma & ſtatura corporis expoſuimus.

De diuitiis autem vxoris conſidera eoſdem planetas, quos iam dixi, videlicet qui lunam applicantem aſpiciant per coniunctionem vel alium radiũ &c. Quod ſi iidem fuerint benefici & potentes, decernunt vxorem diuitem, opulentam, nobilem, aut ex claro genere. Si malefici & debiles, contrariũ.

In ſpecie autem benigni planetæ in ſeptima, præſertim ſi potentes ſint, opulentas & nobiles vxores ſignificant. Malefici ibidem & imbecilles, ſignificant pauperes, ignobiles. Si vero malefici fortes fuerint, diuites quidẽ, ſed malitioſas & omnino imperfectius aliquid aut cũ labe coniunctũ decernũt.

Hæc conſideratio inter omnes regulas maximè vniuerſalis eſſe videtur in iuditio de qualitate vxorum, & vix inuenies aliquam generaliorem, hoc eſt, quæ ad plures natiuitates accommodari poſsit. Specialia precepta plurima ſunt, qualia ſunt iſta.

Dominus ſeptimæ in. 10. vel contra dominus decimæ domus in ſeptima, nobilem promittit vxorem.

Dominus ſecundæ in ſeptima, vel dominus 7. in 2. diuitem, opulentam.

Dominus ſeptimæ in. 12. vel econtra, ſeruam, pauperem, ignobilem, vxorem decernit. Et ſimilia, quæ alibi colligemus. Hic enim tantum vniuerſalia tradimus.

DE MVTVO AMORE ET CONCORdia coniugum.

Conſidera planetam vel planetas numerum vxorum decernentes iuxta ſuperiorem doctrinam. Quod ſi illi benigni fuerint, & Lunam benigno aſpectu intueantur, mutuum amorem, ſuauem conſuetudinem, perpetuam beneuolentiam, ac felicem coniugii ſtatum promittunt.

Si vero malefici fuerint, & Lunam inimico aſpectu intuentur, leui occaſione diſcordabunt coniunges, & alienati à ſe mutuo prorſus nõ cõuenient.

Si autem planeta beneficus maligno aſpectu Lunã aſpexerit, mediocriter inter ſe conuenient cõiuges, & in plæriſq; cõcordabunt. Contrà, ſi malignus planeta benigno radio Lunã intueatur, itidẽ mediocriter inter ſe conueniẽt, ſed in plæriſq; tamen diſcordabunt. Quia maleficorũ benignus radius ſicut plus declinat ad noxam, ita benignorum inimicus radius minus nocet.

In mediocribus habenda eſt ratio aſpectus benigni vel maligni. Nam ſi mediocris planeta, vtpote Mercurius aſpexerit Lunam inimico radio, facilius nocet q̃ cum idem benigno radio Lunam intuens prodeſt, cum eius natura per ſe inconſtans ſit, & mala facilius ac magis noceant, q̃ bona proſint.

Quæ autem nunc dixi de benigno vel maligno aſpectu, ea ad Lunam & dominum ſeptimæ tantum poſſunt referri, nõ etiam ad alios ſignificatores. In eo caſu vbi ſignificator vel ſignificatores mutui amoris ſumuntur ex planetis inter medium cœli & Venerem conſtitutis, non conſiderantur amici

vel

vel inimici aspectus ad Lunam, sed tantum vtrum sint benigni, aut maligni planetæ, & vtrum bene locentur aut secus. Postremo sciendum est, multo certius iuditium de concordia esse, quod sumitur ex collatione & consensu genituræ vtriusq; mariti & vxoris, quæ doctrina apud Ptolomæum lib. 4. tradita est, & nos quoque eam in alio opere latius explicabimus. Hæc tamen vsum suũ habent tunc quando vtriusq; genitura haberi non potest, Item ante contractum matrimonium.

DE CONIVGIO MVLIERVM.

Significatores sunt.

1 Sol & Mars, hi duo in fœmellarũ coniugiis potissimã autoritatẽ habẽt.
2 Domus septima & dominus eius.
3 Planeta vel planetæ in septima.

Ex horum significatorum dispositione, qualitate & positu omnia ea iudicari solent, quæ hactenus de virorum coniugiis tradita sunt, ita tamen vt in omni consideratione Solem hic adhibeas pro Luna, & illi hic tantum tribuas quantum in virili connubio Lunæ tribuebas. Pro Venere autem Martem. *Reliqui significatores manent, & nihil mutant.*

Iterum autem hic moneo in iudicijs singulari diligentia & acri iuditio significatores esse examinandos, an sint fortes vel imbecilles, & eorum congruentiam vel discrepantiam in eodem significato summa industria animaduertendam. Rarissime autem omnes significatores exactè inter se conueniunt. Sed semper ferè aliqua contrarietas reperitur, quæ concilianda est iuxta plurimorum testimoniorum congruentiam. Quod si ea significatorũ contrarietas fuerit exacta, & ab vtraq; parte sibi par, semper præferendi sũt illi planetæ, qui in ipsis domibus consistunt. Plus enim valet præsentia corporalis q̃ dominium absentis planetæ. Si vero planeta existens in loco significante, insuper etiam in domo sua fuerit, non dubium est præsentiam domini plurimum prodesse.

EXEMPLVM PRIMAE *genituræ.*

Saturnus proximè supra vtrãq; significatricem coniugii stellam. (Lunam videlicet & Venerem) eleuatus, ita ut prorsus nullus planeta interueniat, & ex loco maximè sublimi, scilicet Medij cœli apice, vtramq; velut deprimẽs, coniugium huic nato denegat. Qua constitutione omnes affectus, quos Luna & Venus erga connubia suppeditare solent, aut tolluntur aut irriti fiunt. Etsi autem fieri possit, vt sese offerant occasiones contrahendi matrimonij, tamen vix sequetur effectus propter hæc impedimenta Saturni: quę profecto non sunt leuia & plurima huius constitutionis exempla extant. Porro cũ de cœlibatu nati constet, non opus est reliquarum quæstionum de coniugio explicatione &c.

SECVNDAE GENITVRAE exemplum.

Significatores coniugij in hac genitura sunt:

1 Gradus 15. M. 16. Cancri, emergens in septimæ domus angulo.
2 Luna domina eius sign.

3 Sol dominus signi intercepti in septima.
4 Luna generalis significatrix coniugii, quæ bis adhibetur.
5 Venus similiter generalis significatrix.

Horum significatorum constitutio ostendit hunc natum non futurum alieno animo à re vxoria & coniugio. Nam Venus, &si Saturno iuncta sit, tamen cum ei coniunctioni Sol commisceatur, & Luna in signo fœcundo & succedenti loco, ac similiter reliqui significatores ferè omnes in fœcundis signis versentur, coniugium omnino decernunt nato.

Facilitatem & successum in ambienda & impetranda sponsa significant: Hercules stella fixa regia circa principium septimæ domus, & matrimonii significatores natura benigni & mediocres, atque omnes fortes ac fortunati, vnica Venere excepta, quæ omniū debilissima & afflictissima est, ita vt eius ratione, si quid aduersi acciderit, euenire metuendum sit.

Porrò &si significatores omnes, præter Solem, veloces sint motu, tamen cum occidentales sint à Sole, & in domibus occidentalibus, secunda & tertia, indicant natum ducturum vxorem tardius, & post consistentem ætatem hoc est, circiter tricesimum annum ætatis. Fieri tamen posset vt aliquanto maturius se coniugio implicaret ob velocitatem significatorum, aut in adolescentia *Viduam grandiusculam natu duceret.*

Luna vni duntaxat planetæ coniuncta, vnicam denotat vxorem legittimam, nec refert quod plures significatores aquea signa occupant. Certior enim & euidentior est Lunæ significatio. Vter autem alteri superstes futurus sit obscurius est, propterea quod Mercurius in extrema signi parte imbecillior est, qui si potentior esset Luna, vxor marito superstes foret, Sed incertum est propter Mercurium sic constitutum. Ego tamen puto hunc natum superuicturum vxori.

Ex applicatione Lunæ ad corpus Mercurij, colligitur vxorem nati futuram Mercurialem & magis Iouialem, statura mediocri sed proceriore, corpulentiorem & habitiorem magis quam macilentam. Moribus compositis & honestis, œconomicam, sagacem &c. Sed propter receptionem Iouis & Mercurii ex detrimentis per quadratū aspectū, imperfectiores erūt virtutis

Dominus septime in secunda, decernit vxorem diuitem & locupletem, cur hæreditates amplæ obuenient.

Duæ stellæ regiæ in septima, & dominus signi intercepti in septima fortis, decernunt vxorem ex clara familia.

Luna ad Mercurii mediocris planetæ coniunctionem vergens, mediocrem concordiam nati cum vxore significat.

Venus debilissima & Saturno corpore iuncta, portendit vel vxori graue accidens corporis & animi, Vel nato graues difficultates causa vxoris, fortasse cum affinibus, cum in tertia domo sint constituti.

DE LIBERIS.

Post coniugiorum considerationem apte sequitur iuditium de liberis. Supra autem dixi ea quæ magis ad alium quam ad ipsum natum pertinent, obscuriorem cōsiderationem habere. Ideoq; & hoc iuditiū imbecillius est cū ad alios, nō ad proprios nati effectus pertineat. Certius tñ est q̄ superiora de fratribus & sororibus, quia liberi originem sumūt à nato, & eius naturæ velut pars sunt. Fratres vero & sorores longius distant. Itaq; liberi maiorem

rem participationē & συμπάθειαν habent cū nato q̄ fratres aut sorores.

1 Pro liberis igitur considera domum quintam, deinde vndecimam & primam. Quod si in eis planetæ fecundi fuerint, prolem promittunt. Si steriles hæc loca occupant, significant natum non procreaturum liberos.

Planetæ fecundi seu prolem largientes, censentur Iuppiter, Venus, Luna, Item caput Draconis, Steriles, Saturnus, Mars, Sol, & cauda Draconis.

Mercurius cum indifferens & incertæ naturæ sit, iudicandus est secundū illum Planetam, cuius naturam assumit, vel per aspectum aliquem, quo eū intuetur, vel in cuius essentiali dignitate constituitur, sicut supra hæc copiosius explicauimus in iuditio de fratribus &c.

Quod si fœcundus planeta fuerit in quinta, & econtra sterilis, in 11. domo, potior erit locus quinta domus, & præferendus ille planeta qui est in quinta: ac dices natū habiturū liberos. Ecōtra si malignus quintā occupauerit & fœcundus vndecimā, sterilitatē minari magis scias q̄ liberos promitti

2 Quod si null⁹ planeta in his locis fuerit, proximū est, vt cōsideres dominū quintę dom⁹. Si is fuerint fœcūd⁹ planeta, ꝓcreabit liberos si sterilis, nullos,

Imo etiam si quis planeta in his domibus, quas dixi, constituatur, tamen simul *vtiliter poteris considerare dominum quintæ*. Nam si horum testimo*nia consenserint, tanto melius se res habet.*

Postea etiam expendenda est natura signorum, *in quibus planetæ* significantes sterilitatem vel fœcunditatem constituuntur, an sint sterilia, fœcūda vel mediocria. Et horum qualitas diligenter, vt ita dicam, permiscenda & cōferēda est cū planetarū natura. Si enim fœcūdus planeta iter faciat per fœcundū signum, præsertim in quinto loco cœli, euidens est significatū nato futuros liberos. Contrariū, si sterilis planeta in signo sterili versetur. Fœcūdus autē in sterili signo, mediocritatē efficit, ad q̄ necesse est cōferri reliquorū testimonia. Sterilis vero natura planeta in fœcūdo signo, parū potest

Ita demum secundum numerum testimoniorum, quæ vincunt, iuditium componendum est, vtrum natus habiturus sit liberos, nec ne.

Porró de numero in genere cōstabit ex testimoniorum, collectione. Quo *enim plures planetæ fecundi in illis domibus*, quas dixi, & *signis fœcūdis cōstituti fuerint, eó maiorē numerū liberorū decernūt. Et contra, quo pauci*ores, & in sterilibus signis, eo minorē. *Planetæ autem fœcundi in signis* bicorporeis, duplicant numerum liberorum. In fœcundis signis triplicāt.

Masculam prolem promittunt planetæ masculini, orientales, in signis, domibus & gradibus masculis, Fœminei planetæ, occidentales, in signis, domibus & gradibus fœmininis fæmellas.

Quod si omnes planetæ, qui liberos decernunt, aut eorum maior pars, potentes fuerint, robustos, longæuos, celebres, claros, & felices liberos promittunt, ex quibus ad parentes plurima commoda sint peruentura.

Contrà si imbecilles fuerint, abiectos, obscuros, inglorios, imbecilles, valetudinarios, vel breuis vitæ liberos significant. &c.

Et si inter dominū primæ & quintę benignus aspectus intercesserit, mutu⁹ amor & cōcordia erit inter patrē & liberos. Si inimicus aspectus vel prorsus nullus, liberi contendent cū parentibus & simultatē exercebūt. Sed hoc certius ex collatione geniturarū deprehēditur. Attulimus autē hæc præcepta magis vt cupido lectori satisfaceremus, quę quanq̄ sunt imbecillia, tū

si significatores euidentes in hac parte sint, sæpe his effectus respondebit.

EXEMPLVM PRIMAE GENITVRAE.

Cum ex præcedenti de coniugio loco constet non habiturum hunc natum vxorem, non opus est amplius quærere de liberis legittimis quos ex coniugio suscepturus sit, Nam illegittimos non considerant Astrologi, cum eorum numerus adeo incertus esse possit, vt quidam eo modo plures q̃ credibile sit susceperint, Transibimus igitur ad secundum exemplum.

SECVNDAE GENITVRAE EXEMPLVM.

Mars in vndecima, & si signum prolificum occupat, tamen non potest numerosam prolem largiri, cum sit natura sua sterilis planeta. Sed Mercurius quintæ domus gubernator, assumens Iouis naturam per receptione, vel certe constitutionem in Piscibus signo omnino fœcundo, multos liberos promittit. Discrepant igitur horum duorum significatorum decreta. Sed ac maior est significatio fœcunditatis propter Mercurium in Piscibus & Martem *in fœcundo signo constitutum.*

Arbitror aũt eum sex vel septem liberos ex legittima coniuge suscepturũ Nam Mercurius in signo aqueo triplicat numerũ. & quia ex eodem signo à Ioue receptus est, iterum triplicat. Mars in fœcundo signo vnam prolem adijcit. Sed non est fas de numero aliquid certi affirmare, aut cum scrupulosius inquirere, sufficit scire vtrum numerosam, paucam, aut nullam omnino prolem, sit habiturus natus.

Maior pars liberorum huius nati erunt fœmellæ, propterea quod Mercurius in signo ac loco fœmineo versatur, & Lunam aduentantem expectat.

Cumq; significatorum alter mediocris sit, alter potens, iudico maiorem partem liberorum fœlicem futuram, longæuam, formosam & ingeniosam. Quod confirmat Aldebaran stella fixa regia circa principiũ quintæ domus posita. Et tamen vt etiam aliquid Marti tribuamus, fieri potest vt ex ijs aliqui *in infantia moriantur aut affecta sint valetudine.*

Dispositor horoscopi nullo aspectu congruens cum domino quintæ, significat simultates inter patrem & nonnullos ex liberis futuras.

DE ITINERIBVS.

Significationes itinerum & peregrinationis sumuntur.

A { Nona domo & domino eius.
Planeta vel planetis in nona.
Luna & Mercurio. Luna quidem quia vagabunda est, & velox. Mercurius vero quia instabilis & versatilis.

1 Ex his omnibus significatoribus sumuntur iuditia, vtrum natus sit peregrinaturus ad exteros, idq; an sæpius vel assiduè, ita vt tota vita, conuersatio actio apud exteros sit futura an vero rarius & interdum tantum.

2 Vbi constiterit nato decerni itinera, considerantur hæ precipuæ circũstantiæ, in quam partem mundi futuræ sint peregrinationes respectu situs pa

triæ. Quodsi in diuersas partes significatur eum profecturam, versus quam potissimum.

3 Quæ futuræ sint causæ principales itinerum.

4 Quales sint peregrinationes, qualia itinera, fortunata ne, an infortunata periculosa & successu carentia.

Quod ad primam quæstionem attinet, considera antedictos significatores, potissimum vero Lunam & Mercuriũ. Qui si inter se coniuncti fuerint aut in mutua receptione.

Aut coniuncti vel recepti à domino primæ vel nonæ domus. Item si occupauerint vel nonam vel tertiam vel primam, aut in eis dominiũ habuerint, omnino decernunt itinera. Idem facit dominus nonæ in prima, uel primæ in nona, aut quando hi simul iunguntur. Sol præterea in domicilio Lunæ vel Mercurij, aut in horum essentiali receptione, vel etiam coniunctus Lunæ vel Mercurio, vel vtriq; simul, affert peregrinationes. Idem denotat Mercurius in domo Lunæ, Vel è contra Luna in domo Mercurii.

Ergo quo plures secundum hanc doctrinam significationes itinerum collectæ fuerit, eò frequentiora & longinquiora itinera natus faciet.

Contrà, minora & non frequentia, *sed per interualla, quo pauciores significationes inueniuntur.*

Quod si nulla penitus harum significationum se ad aliquam genituram accommodauerit, nimium amans erit patriæ sic natus & vitam maxima ex parte domi desidens aget, vix alio patriam quærens sub Sole iacentem.

II. Plaga mundi.

Si nulla faciet itinera natus, non opus est vlteriore quæstione. Vbi vero euidentes sunt significationes itinerum, quæritur, in quam mundi plagã potissimum futuræ sint peregrinationes.

Iuditium autem sumitur primo à planetis peregrinationem decernentibus secundo à signis Zodiaci, in quibus sunt planetæ decernentes itinera.

Planetæ orientales, hoc est, qui præsunt orienti, videlicet Sol & Saturnus, decernunt itinera respectu patriæ versus orientem.

Meridionales, vt Venus, versus meridiem.

Occidentales, vt Mars & Luna, versus occidentem.

Septentrionales, vt Iupiter, versus septentrionalem.

Mercurius indifferens & incertæ naturæ est, coniunctus orientali vel in eius dignitate essentiali, orientalis est, & sic de reliquis Sed cum luminaribus coniunctus non trãsformatur, nisi eorũ essentialẽ dignitatẽ possederit

Signa autem considerantur secundum trigonos.

Igneus trigonus, videlicet Aries, Leo, Sagittarius, decernunt peregrinationem in orientem.

Aereus, Gemini, Libra, Aquarius in occidentem.

Terreus, Taurus, Virgo, Capricornus in meridiem.

Aqueus Cancer, Scorpio, Pisces in septentrionem.

Colligantur igitur testimona pariter à natura planetarum itinera decernentium, & signorum, in quibus planetæ illi constituuntur. Et ex testimoniorum congruentia, iudicium fiat de plaga mundi certa. Constabit autem facile ex eadem collectione vtrum in diuersas partes sit peregrinaturus, & in

quam

quam potissimum ac sæpius.

III. CAVSAE ITINERVM.

Hæ similiter duobus modis depræhenduntur primum è natura planetarum, qui significant nato futura itinera, Secundo à domorum significatione in quibus iidem planete versantur. Supra aũt dixi planetas duo significare, res & personas. Quare si planetę decernentes itinera, coniungantur Saturno, aut in eius essentiali dignitate sint, vel ipse Saturnus significator existat ostenditur causam itineris futuram res Saturninas, vt fodinas metallicas, ædificationes, hæreditates mortuorum: Aut personas Saturninas, vt senes auaros, agricolas. &c. Si Ioui, causa erit religio, honor, iurisprudentia, beneficia Ecclesiastica &c. Aut personæ, quę talia administrant, vt Episcopi, prælati, nobiles, iudices, magnanimi. &c. Et sic de reliquis planetis, quorũ omnium significationes quia supra in loco de diuitiis exposui, hic longiorem commemorationem omitto.

Deinde considerandæ sunt significationes domorum, in quibus constituũtur planetæ decernentes itinera. Nam in prima domo significant itinera *suscepta à quodam naturali amore peregrinandi. In secunda domo causa contractuum, emptionis, venditionis,* acquirendæ pecunię. In tertia, causa fratrum. &c. In quarta causa parentum, patrimonij. &c. & sic de reliquis domibus, quarum significata etiam supra exposita sunt.

Ita ab his duobus locis videlicet natura planetarum decernentium itinera, & domorum naturali significatione in quibus iidem constituuntur, colligenda sunt conuenientia vni rei testimonia, & inter se miscenda.

IIII. Successus in itineribus.

Quando planetæ decernentes itinera potentes fuerint, & sociati beneficis aspectu amico, vel in domibus eorum, præbent secura itinera, prosperitatem, dona, amicos, honores & rerum institutarum fœlicem euentum.

Si debiles, *aut sociati maleficis aspectu inimico fuerint, aut in eorum domibus magnis periculis & aduersitatibus* implicant eos, qui iter faciunt.

Qualitas periculi in genere sumitur à Saturno & Marte, & signo quod occupant iidem. Cum igitur inficiunt significatorem, aut supra illum eleuantur, aut domini eius sunt loci, portendunt in itineribus periculum, de natura domus & signi in quo versantur, vt in. 12. propter captiuitates, in tertia à fratribus, consanguineis & propinquis, & sic de reliquis domibus.

In signis humidis, à pluuiis, aquis, nauigationibus infaustis, aut solitariis locis.

In fixis, excepto Scorpione, à lapsu præcipitatione vel tẽpestate vẽtorũ.

In mobilibus, ex defectu cõmeatuũ, aut aëris mutatione, graueolentia.

In humanis signis, à latrociniis, deprædationibus, insidiis.

In syluestri signo lacerationes metuendas à bestiis. Item terræ motus portendunt.

In domestico signo, periculum erit nato ab equis excutientibus sessorem aut effrenibus. Item morsu animalium domesticorũ, vel canis rabiosi.

In signo venenato, vt scorpione ex morsu serpentum. &c.

Quæ

QVAE REGIONES SIVE VRBES MAGIS CONueniant nato, & quæ sint incommodæ vel aduersæ.

Regiones & ciuitates subiectæ signis primæ.10.11.2.domorũ radicis, si nõ fuerint à malis læsa, cõmodæ sunt nato, vt ibi vel res suas gerat vel habitet. Si vero impeditæ fuerint à maleficis, mediocres.

Ita quæ subsunt signo, quod tenent Iuppiter, Venus, pars fortunæ, vel caput Draconis in radice, cum à maleficorum inimicis aspectibns non impediuntur, prosperæ sunt nato, præsertim si eadem signa occupent. 1.10.11.vel, 2. Item. 5. 9. 3. sed minus. Quod si constituantur in occasu aut imo cœli aut domibus ab ascendente separatis, significant mediocritatem.

Aduersæ autem erunt nato regiones & vrbes, quæ subiectæ sunt signis Saturni vel Martis, vel caudæ Draconis in radice, præsertim si in septima. Imo cœli, aut domibus ab ascendente separatis, vtpote. 6.8.12. eadem signa constituantur. Nam ibi à malis quoquo modo læsa valde aduersantur.

DE REGIONIBVS AC CIVITATIBVS DVOdecim signis Zodiaci subiectis.

Aries habet { *EX REGIONIBVS Bastarniam, Syriam, Palestinam*, Galliam, Britanniam minorem, *Burgundiam* superiorem, Vvestriæ partem, Germaniam, Sueuiam, Silesiam superiorem, Poloniam minorem. EX VRBIBVS Neapolim, Capuam, Anconam, Imolam, Ferrariam, Florentiam, Veronam, Bergomum, Lindauiam, Traiectum, Brunsuicũ, Cracouiam, Massiliam, Cæsaraugustam.

Taurus habet { EX REGIONIBVS Parthiam, Mediã, Persiã, Arcipelagi insulas, Cyprũ, Asiam minorẽ maritimã, Russiã albã, Poloniã maiorẽ, Suetiæ partẽ, Irlãdiã seu Hyberniã, Lotharingiã, Cãpaniã, Heluetiã, Rhetiã, Frãconiã. EX VRBIBVS, Burgũ, Hispaniæ, *Bononiã, Senas, Mantuã, Tarentũ, Panormũ*, Perusiam, Parmã *Caput Histriæ, Brixiã, Tigurũ, Lucernã, Nanceiũ, Metim*, Herbipolim, Carolostadiũ, Lipsiã, Posnã, Gnesnam, Nouogardiam.

Gemini habet { EX REGIONIBVS Hyrcaniam, Armeniã, Martianã, Cyrenaicam, Marmaricã, Aegyptũ inferiorẽ, Sardiniã, Longobardię partem, Flandriã, Brabantiã, VVirtembergensem ducatum. EX VRBIBVS, Cordubam, Viterbiũ, Cesenã, Turinũ, Vercellas, Rhegium, Louaniũ, Brugas, Londinũ, Moguntiam, Kitzingũ, Hassfordiam, Bambergam, Norinbergam, Villacum.

Cancer habet { EX REGIONIBVS Numidiam, Africam, Bithyniam, Phrygiam, Colchidẽ, Carthaginẽ, Granatæ regnum, Franciæ regnũ, Burgundiæ Comitatũ, Hollandiã, Selandiã, Scotiæ regnũ, Prussiam. EX VRBIBVS, Cõstantinopolim, Tunetum, Venetias, Genuã, Lucã, Pisam, Mediolanũ, Vicentiã, Bernam, Treuerim, Eboracũ, S. Andream, Lubecum, Magdeburgum, Gorlizium.

Leo

Leo habet

EX REGIONIBVS Phœniciam, Chaldæam, Orchiniam, Galliam togatam, Alpes, Italiam, Siciliam, Apuliam, Bohemiæ regnum, Turciæ partem, Aemiliam, Sabinam. EX VRBIBVS Damascum, Syracusas, Romam, Rauennã, Cremonam, Vlmam, Confluentiam, Pragam, Linzium, Cremisium.

Virgo habet

EX REGIONIBVS Mesopotamiam, Babyloniam, Assyriam, Achaiam, Græciam, Croaciam, Carinthiam, Athesinam, Cretam, Atheniensem ducatum, Galliæ comatæ partem, Rheni partem, Silesiam inferiorem. EX VRBIBVS Hierosolymam, Corinthum, Rhodum, Nouariam, Aretium, Cumas, Brundusium, Papiam, Signiam, Tolosam, Lugdunum, Lutetiam Parrhisiorum, Basileam, Heydelbergam, Erphordiam, VVratislauiam.

Libra habet

EX REGIONIBVS Bactrianam, Caspiam, Seres, Thebaida, Oasim, Trogloditicã, Aethiopiam, Thusciam. Sabaudiam, *Delphinatnm, Alsatiam, Sundgauiam, Liuoniam, Austriam.* EX VRBIBVS Olysipponem, Arelatum, Caietum, Laudam, Suessam, Placentiam, Veldkirchium, Friburgum Brisgoiæ, Argentinam, Spiram, Francofordiam ad Mœnum, Halam Sueuorum, Vvimpinam, Heylprunnam, Frisingam, Mospachium, Landshutam, Viennam *Austriæ.*

Scorpio habet

EX REGIONIBVS Matragonitidam, Commagenã, Cappadociam, Iudæam, Idumæam, Mauritaniam, Getuliam, Cathaloniam, Norduegiam, Suetiam occidentalem, Bauariam superiorem. EX VRBIBVS, Algeram, Valentiam hispaniæ, Trapezuntem, Vrbinũ, Aquileiam, Pistoriũ, Camerinum, Taruisium, Patauium, Forũ Iulium, Messanam, Viennam *Allobrogum, Aychstadium, Monacum, Gedanum.*

Sagittarius habet

EX REGIONIBVS Arabiam fœlicem, Tyrrheniã, Celticam, Hispaniam, Dalmatiam, Sclauoniam, Vngariam, Morauiam, Misniam. EX VRBIBVS, Toletum, Volaterras, Narbonam, Auenionem, Coloniã Aggrippinam, Sturgardiam, Rotenburgum, Tuberinum, Iudenburgum, Budam. Caschouiam.

Capricornus habet

EX REGIONIBVS, Indiam, Arrianam, Gedrosiam, Macedoniam, Illyridem, Thraciam, Bosniam, Albaniam, Bulgariam, Græciam, Masoniam, Lituaniam, Saxoniam, Hessiam, Turingiam, Marchiã, Styriæ, Orchades insulas. EX VRBIBVS Iuliacum, Cleuoniam, Bergam, Machliniam, Gandauum, Oxoniam, Vilnam, Brandeburgum, Augustam Vindelicorũ, Constantiam, Derthonam, Fauentiã.

Aqua-

Aquarius habet — EX REGIONIBVS Oxianam, Sogdianam, Arabiam desertam & petream, Azaniam, Amazoniam, Sarmatiam, Tartariam magnam, VValachiam, Russiam rubeam, Daniam, Suetiæ meridionalem partem, VVestphaliam, Mosellanos, Pedemontium, Bauariæ partem. EX VRBIBVS Hamburgum, Bremam, Montem ferratũ, Pisaurum, Tridentum, Salisburgum, Ingolstadium.

Pisces habent — EX REGIONIBVS Phazaniam, Nazomonitidem, Garamantes, Lydiam, Pamphiliam, Ciliciam, Calabriam, Portugalliam, Normandiam. EX VRBIBVS Alexandriam, Sibiliam siue Hyspalim, Compostellam, Parentiũ, Rothomagũ, VVormatiã, Ratisponã.

DE RELIGIONE.

Iuditium de Religione & si theologorum magis q̃ Mathematicorum autoritate nitatur, tamen plurimarum geniturarum exemplis constat, maleficis Saturno vel Marte, Item cauda Draconis in nona domo, aut huic opposita, videlicet tertia, existentibus, in signo mobili, Ioue deiecto, peregrino *aut in detrimento suo atque etiam in loco cadente*, à maleficis damnato, *natos sic facile perseuerare in vna religione*, sed subinde huc illuc nutare ac parum curare diuina.

Quod si Iuppiter, Venus aut caput Draconis eadem loca occupauerint, significant constantem christianum, amatorem verbi Dei & piorum.

Sol autem Luna, Mercurius & pars fortunæ ibidem, mediocritatis signa sunt, augendæ cum accesserit Iouis aut Veneris benignus radius, minuendæ cum maleficorum inimicus radius eosdem ferit in dictis locis.

Vbi vero duo res, aut plures planetæ in nona aut tertia versantur, mixturã & mediocritatem notãt, ita tamen vt principale iuditiũ à fortiore sumatur.

Quod si neq; nonam neq; tertiam vlli planetæ occupant, cõsideretur Iuppiter, qui est naturalis significator religionis, Quod si is in domo aut exaltatione sua constitutus fuerit, magisq; in angulo, vel in essentiali receptione *cũ Venere, Sole, Luna, aut Mercurio*, vel in Veneris coniunctione, trigono *vel sextili radio partili, pium & modestum hominem significat*. Contrarium si Iuppiter sit peregrinus, in casu suo aut detrimento, & in loco cadente figuræ cœli, damnatus à maleficis.

Tantum de hac consideratione hic dixisse sufficiat, quam leuiter tamen attingere voluimus, cum mathematici non raro natiuitatum quas describunt iuditiis etiam hanc inserant.

DE SOMNIIS.

Iuppiter aut Venus in nona potens, si maleficorum inimicis radiis, non feriatur, somnia adfert μαντικὰ quibus plærunq; respondet euentus.

Sed malefici ibidem & debiles, somnia fallacia aut prorsus inania. Sic licet benefici fuerint in nona, sed tamen imbecilles & læsi inimico aspectu maleficarum ambigua, quibus interdum respondet euentus, interdum nõ. Idem significant mediocres planetæ in eo loco. Si plures planetæ simul in nona coëant, potior dignitate anteferendus est.

Si nulli planetæ in nona sint. considerabis nonę signum & dominum eius, & secundum eius qualitatem & dispositionem iudica eo modo, vt iam

N dixi-

diximus, de somniis.

Hãc de sõniis breuem admonitionẽ addidi, secutus cõmunẽ cõsuetudinẽ Astrologorum. Nec pugnat hæc doctrina cum sacris lıtteris, cum talia sõnia quæ significãt aliquid futuri, à tẽperamẽti proprietate oriãtur. Præcepta autẽ de interpræatione inepta & inania sũt, & sæpe interpretes fefellerũt, Ac in Deuteronomio adseueratio ex iis, nisi sint diuina, manifestè prohibetur.

EXEMPLVM PRIMAE GENITVRAE.

Luna in prima domo constituta, significat natum hunc satis frequentia & loginqua itinera facturum esse. Etsi vero vnica duntaxat regula se ad hoc thema accõmodat, tamen cum ea ferè præcipua sit, fit vt eius significatum eò maiores vires habeat. Faciet aũt itinera potissimum versus occidentem ac septentrionem, respectu situs patriæ. Luna enim significatrix itinerũ occidenti præest, deinde trigonum aqueum possidet qui plagam mundi septentrionalem regit.

Occasionem præbebunt his itineribus potissimum personæ ac res Lunares. De quibus cum alio in loco *dictum sit, eas hic repetere opus non est.* Item *naturalis amor peregrinandi & cognoscendi exterorum hominũ mores.* &c. Quod *quidem à proprietate Lunæ,* & loco eius desumitur.

Aduersitates & pericula maiori ex parte in susceptis peregrinationibus experietur. Luna enim significatrix itinerum debilis est, læditurq; quadrato Saturni partili ex angulo. Saturnus igitur sic Lunam infestans, minatur malum, primo pro ratione signi, in quo constituitur, vt ab insidiis, depredationibus, latronibus, vel à bestiis, equis, aut per terræ motum. Pro ratione vero loci figuræ cœlestis, in quo versatur, portendit aliquid impedimenti propter magnos dominos, claros viros, consiliarios principum, magistratum aliquem gerentes. &c.

Reliqua iuditia de religione & somniis nullam difficultatem habent, proinde lector ea facile si volet, iudicabit.

EXEMPLVM SECVNDAE GENITVRAE.

Luna & Mercurius inter se iuncti, Deinde Saturnus dominus primæ cũ Venere gubernatrice nonæ in eodem signo ac gradu positus, frequentes & longinquas peregrinationes huic nato decernunt. Et quidem frequentiores ac lõginquiores, quàm in exemplo primæ genituræ, cum ad hoc thema duæ regulæ se accommodent.

Suscipiet autem itinera in diuersas mundi plagas.

Luna ostendit ea futura pro natura sua, versus occidentem: pro natura vero signi sui, versus septentrionem.

Mercurius pro natura Iouis, quam per receptionẽ assumit, versus septentrionem, Idem etiam significat pro natura signi, quod occupat.

Saturnus pro natura sua & signi, versus orientem.

Venus pro natura sua, versus meridiem: pro natura vero signi sui, versus orientem.

Vnde constat natum hunc versus omnes quatuor plagas mundi respe-

ctu situs

ctu situs patriæ profecturum esse. Sed ex eis plagæ mundi: Septentrionalis & orientalis, potiora testimonia sibi vendicant. Reliquæ duæ imbecilliora.

Causæ itinerum pendent à personis & rebus Lunaribus, Mercurialibus, Saturninis ac Venereis. Item à domo cœli secunda & tertia. Quarum significationes hic enumerare omittimus, cum in præceptis doctrinæ satis perspicue sint explicatæ.

Successus mediocris, fortunatior tamen, decernitur in illis itineribus, quæ à Luna, Mercurio, & Saturno significantur. In illis quæ à Venere, malus propter pericula belli, depredationum, insidiarum & latrociniorũ. Item equorum, canis rabiosi. Item propter fucatos quosdam, amicos, qui eum in discrimen adducent.

Reliqua de religione & somniis, cum leuia sint et facile iuditium habeant, propter temporis angustiam concessam mihi à typographis omitto. Et poterit lector ea, si volet, per se facile secundũ nostra præcepta examinare.

DE HONORIBVS ET DIGNItatibus nati.

Hæc pars cum sit magni momenti & vsus in prædictionibus genethliacis, diligentiorem considerationem requirit quam pleraq; ex præcedentibus.

1 Sumitur autem significatio dignitatis à *luminaribus, Sole præsertim*, & planetis medietate suorum orbium circundantibus aut aspicientibus luminare vtrunque, præcipuè solem.

2 Deinde à domino Medii cœli.

3 Et Planeta vel planetis in medio cœli constitutis.

I.

Hi significatores si fuerint in proprio domicilio, exaltatione aut mutua receptione essentiali, honores, officia publica, amplas administrationes, dignitates, eximium fauorem & beneuolentiam magnatum conferunt.

In triplicitatibus, terminis aut faciebus mediocria omnia.

Peregrini autem in suis detrimentis vel deiectionibus, absque essentiali receptione, exiguas aut nullas dignitates.

II.

Si fuerint in angulis, conferunt etiam *dignitates amplas. In succedentibus* mediocritatem.

In octaua domo & cadentibus, exiguos aut nullos honores, & exiguum ac humile genus vitæ.

Quod si vtrũq; simul contingat, vt significator sit & in proprio domicilio &c. & in angulo, duplicatum testimonium, effectum euidentiorẽ designat.

III.

Significatores intra distantiam. 5. grad. ante vel retro, iuncti stellis fixis regiis, primæ vel secũdæ magnitudinis, quæ parum distant ab Ecliptica, decernunt maximos honores, & eximiã præstantiã dignitatis: Ideoq; in collectione testimoniorum per numeros, semper eis tria testimonia decretorum danda sunt. Tales stellæ sunt:

Regulus seu cor Leonis in. 23. ferè grad. Leonis.
Oculus Tauri, in. 5 ferè grad. Geminorum.
Hercules in. 17. ferè grad. Cancri.

Spica Virginis in 17. ferè grad: Libræ.
Luminosior lanx Meridionalis in 8, grad: Scorpij.
Cor Scorpij seu Antares in 3. ferè grad: Sagittarij.

IIII.

Planetæ benefici in decima domo, decernunt eximias dignitates.

V.

Malefici, negant dignitates.
Mediocres medium statum decernunt.

Similiter dominus horoscopi in cœli medio, vel contra dominus medij cœli in horoscopo, confert dignitates magnas: ideo ei duo testimonia dignitatum adscribenda sunt in collectione testimoniorum per numeros.

Iuxta has regulas fieri debet collectio testimoniorum decernentium aut negantium honores, & quorum copia vicerit, hos suum effectum secuturum omnino scias.

Qualitas, genus ac causa futuræ dignitatis.

Sumitur à planetis circundantibus vel *partiliter aspicientibus luminaria, præcipue vero ab eo, qui inter luminarium stipatores potentior est cæteris ratione dignitatum essentialium, potissimum* domus & altitudinis. In his considerari debet, quas res & quas personas sibi vendicent & ab earum rerum ac personarũ proprietate conijcienda ac sumenda erit causa honorum

Saturnus præ cæteris fortior & luminaria aspiciens, propter hæreditates possessiones, suffragia &c. item propter senes, maiores, agricolas, parcos &c. adfert autoritatem & honores.

Iuppiter & Venus propter virtutes, honestatem, grauitatem, iustitiam &c. item propter tales personas.

Mars promittit dignitatem ex expeditionibus, ducendis exercitibus, victorijs, rebus fortiter gestis, Item propter personas Martiales

Mercurius ob ingenium, peritiam, prudentiam, doctrinam &c.

Deinde ad iungatur consideratio domus *cœlestis, in qua planete* luminaria *aspicientes, & potissimum is, qui inter cæteros fortior est,* constituũtur. *Nam si is fuerit in prima, suapte* industria consequetur dignitatem natus, si in 2. propter diuitias, & sic de reliquis domibus. Et hæc significata cõmiscenda sunt cum superioribus, quæ à planetis, stipatoribus sumuntur.

II

Si nullus planeta luminaria stipat aut ea partiliter aspicit, consideres planetam in. 10. constitutũ & inter eos fortiorem, si plures in illo loco coniungantur: ac secundum res & personas sub eo comprehensas iudicabis causam dignitatis venturæ.

III

Quod si neq; decimam, planeta occupauerit vllus, ad dominum medii cœli recurras, & secundũ eius proprietatẽ considera causas venture dignitatis, & huic similiter cõmiscebis significationẽ dom' cœlestis, in qua is versatur.

An duraturi sint honores.

Hoc iuditium similiter sumitur à planetis qui luminaria stipant, vel ea partiliter aspiciunt, sed potissimum fortiore aliis.

Qui

Qui si fuerint benefici, vtpote Iuppiter vel Venus, atq; etiam potentes, status dignitatis perpetuo crescet, cum quadam facilitate.

Quando mediocriter afficiuntur, significant statum dignitatis crescentem paulatim, & durabilem, sed tamen cum quadam difficultate. Sin debiles sunt, dignitatum ornamenta ad tempus durabunt, & paulatim decrescent, nec tamen euanescent omnino.

Verum vbi Saturnus vel Mars, stipant vel aspiciunt luminaria, ac fœliciter constituuntur, duraturos quidem significant honores, sed cum difficultate & vario discrimine. Si mediocriter affecti fuerint paulatim honores decrescent. ita ne tamen vnquam penitus euanescant. Si imbecilles, subito euanescent honores.

Mercurius aspiciens luminaria, cum bene ponitur, honores principio crescent facile, ac durabunt: in fine autem difficultatem experietur. Cum mediocriter, ruinam minatur, sed non cadit. Vbi vero malè, tunc ad tempus incrementa honorum significat, sed cum infelici exitu.

II.

Si nullus omnino planeta aspexerit luminaria, tum à planeta vel à planetis in medio *cœli constitutis, duratio honorum sumitur, considerata natura planetæ, & vtrum sit in sua dignitate essentiali, vt supra.*

III.

Si neque in decima quispiam fuerit, à gubernatore medii cœli duratio honorum sumitur.

EXEMPLVM PRIMAE GENITVRAE.

Honores sumuntur in hoc themate.

A
1 Sole & Luna.
2 Marte & Saturno. Nã hi duo tantũ Lunã partiliter intuẽtur. Solẽ (null'.
3 Ioue dispositore medii cœli.
4 Saturno in medio cœli constituto. Ergo bis à Saturno in hac genitura testimonium colligitur.

SOL *cum prorsus in extremitate signi Leonis versetur,* vires suas ea ratione non leuiter *contrahit,* ac perinde *se habet, ac si in triplicitate,* termino, vel facie sua constitutus esset. Ergo ratione dignitatis essentialis hic mediocres dignitates confert. Sed ratione loci figuræ cœlestis magnos, quia in angulo occidentis versatur.

LVNA peregrina, & nulla dignitatum essentialium ornamenta habens, exiguas aut nullas potius dignitates decernit. Sed quia in angulo ascendentis versatur, magnas pollicetur.

MARS peregrinus, & in suo detrimento, nullos honores, aut omnino exiguos. In loco figuræ, succedente mediocres decernit.

SATVRNVS peregrinus, itidem nullos honores pollicetur, aut exiguos. Sed ratione anguli magnos.

DECIMA domus obsessa à malefico planeta, negat dignitates, sed rursus dominus primæ in decima domo, promittit honores, duplici testimoniorum assumptione notandos.

IVPPITER particeps triplicitatis suæ, mediocres honores largitur. Sed in abiecto loco figuræ cœli, exiguos aut nullos.

Ab his significatoribus colligo summatim quinque, testimonia dignitatum magnarum, totidem paruarum aut nullarum, Tria mediocrium. Vnde apparet hunc natum ad mediocrem dignitatem peruenturum. Administrationes, officia & fauor magnatum, omnia mediocriter se habebunt.

Saturnus Lunam partiliter aspiciens, & fortior q̃ Mars, qui eandem quoque intuetur, significat illas mediocres dignitates venturas esse ratione rerum & personarum Saturninarum, quæ quales sint, ex superioribus facile est colligere. Et quia in decima versatur, causa beneuolentiæ & fauoris magnatum hæc euenient. Item magisterii sui, in quo excellens erit.

Status honoris & existimationis durabit quidem perpetuo, sed tamen nō citra difficultates varias & discrimina. Nam Saturuus in medio cœli etsi dominus primæ sit, & honores decernat, tamen ob naturam maleficam semper incommodi aliquid miscet.

EXEMPLVM SECVNDAE GENITVRAE.

Honores in hac genitura significant.

1 Sol & Luna.

2 *Venus & Saturnus iuncti corpore Soli: Iupiter qui vtrunq; luminare intuetur orbis sui medietate. Ideoq; bis ab eo testimonium peti debet:* Item Mars Lunam partiliter intuens.

3 Mars, gubernator medii cœli. Ideo & ab hoc bis testimonium sumitur.

SOL ratione altitudinis suæ significat hic magnos honores. Sed ratione domus cadentis exiguos aut nullos.

LVNA particeps triplicitatis, mediocres honores decernit. Ratione loci in figura itidem mediocres.

IVPPITER ob receptionem, mediocres pollicetur. Sed ratione loci cadentis paruos aut nullos. Et hæc decreta Iouis bis in collectione testimoniorum sumenda sunt.

VENVS in detrimento suo & loco cadente dupliciter denegat honores.

SATVRNVS in suo casu & loco figuræ ab angulo cadente itidem vt Venus dupliciter denegat honores.

MARS particeps triplicitatis, mediocres honores pollicetur. Idem facit *ratione loci figuræ cœlestis.* Et hæ significationes Martis in collectione bis sumendæ sunt, cum bis ad decreta honorum assumatur. Et notandũ simul quod stella fixa regia Antares, cui iungitur Mars, in testimoniorum calculo tria testimonia dignitatum afferat, bis assumenda, cum ipse Mars bis assumatur. Maxima enim vis est stellarum fixarum in hoc iudicio. Ideo plura, quàm reliquæ dignitates omnes testimonia honorum largiuntur.

Porro ab his significatoribus summatim colligo nouem testimonia magnorum honorum. Septem paruorum aut nullorum, vtcunque aliquis hos nominare velit. Sex mediocrium. Ergo constat hunc natum ad honores & dignitates satis amplas peruenturum, habiturumque existimationem, autoritatem & beneuolentiam in societate ciuili præcipuam, administraturum officia publica cum dignitate & beneuolentia magnatum.

Consequetur autem honores & dignitates suas, potissimum per Iouiales res, & personas, vtpote Ecclesiasticos, Iurisperitos, iudices, nobiles, præfectos prouinciarum ac ciuitatum, diuites. Item per virtutem, honestatem,

grauitatem,

grauitatem, iustitiam, prudentiam. &c. Deinde per significationes sextæ domus, in qua Iuppiter est constitutus, vtpote seruitia aliis præstita, vel per fideles seruos, bonos vicinos. &c. Iuppiter enim omnium fortissimus est eorum, qui luminaria, & præcipue Solem intuentur.

Status honorum & autoritatis nati paulatim crescet, ac perpetuo durabit, Sed tamen cum quadam difficultate. Nam Iuppiter qui ei præcipuas dignitates largitur, etsi receptus sit à Mercurio ex domicilio, tamen ex detrimento hoc fit, & per quadratum aspectum, quod aliquid incommodi adfert eius decretis.

DE MAGISTERIO SEV EXERCITATIONE.

Magisterium nati nominant Astrologi studium, artem seu actionem illã, qua aliquis vitam ducit, victum quærit, existimationẽ retinet, & in summa vitæ suæ curriculum consumit & absoluit: siue ea sit publica, vt regum ac principum, quorum alii exercitiis militaribus, alii iuris administratione, alii venationibus, alii aliis actionibus delectantur: *Siue priuata, quę aut docta & industria est, aut mœchanica, aut voluptuaria, aut laboriosa &c.*

Tria autem considerari solent membra in hoc iuditio.

1 An natus sit habiturus magisterium, hoc est, studium seu opificium aliquod tractaturus: An vero futurus sit otiosus iners, & sine exercitatione.

2 Genus *artis seu studii.*

3 *Quæ sit futura nati fortuna*, & nominis celebritas in eo opificio & artis genere.

SIGNIFICATORES hoc modo sumuntur:

1 Considerandi sunt Mars, Venus & Mercurius, quorũ si vnus aut plures constituantur in locis magisterij aptis, hoc est, in domo decima prima vel septima, in dignitatibus suis, extra combustionem & radios Solis, ille vel illi sic positi significationem artis & magisterij obtinebunt.

2 Quod si nullus horum ita constituatur, considera vtrum horum trium aliquis *sit dominus signi medij cœli et in dignitate sua constitutus &c.* Nã peregrinus aut in casu vel detrimento *suo ineptus erit ad hoc officium.*

3 Quod si neq; hæc consideratio habebit locum, vide quis illorum trium Lunam partiliter aspiciat. Si plures illorum aspexerint eam, pręferatur melior aspectus. Et si plures eodem aspectu Lunã intueantur, præferatur aspectus partilior platico, Item sinister dextro.

4 Si nullus trium horum Lunam aspexerit, consideres quem nam illorũ Luna orbis sui medietate & fortiori radio aspiciat, Isq; erit significator magisterij, modo non sit à maleficis damnatus, hoc est iunctus maleficis aut eorũ inimicis radijs impeditus. Nam hoc modo constitutus reiiciendus erit.

Si plures vero aspexerit Luna orbis sui medietate, is sumatur quem partilius aspexerit.

5 Postremo si omnino nullum ex his Luna aspexerit, accipe eum qui horum trium Solem motu primi mobilis proximè antecedit, atq; illi dominiũ opificii tribue.

Hac ratione dominus seu significator magisterij inquiri debet, neq; vlla genitura est quę non cadat sub horum regularum aliquam. Fieri autem potest

teſt, vt iuxta has conditiones idem planeta plura teſtimonia, ſeu, vt Ptolemæus nominat ψηφους οικοδεσποτίας ſortiatur, & is plærunque eſt efficatior.

Iam ſi voles iudicare vtrum natus ſit habiturus artis alicuius exercitationem ſeu opificium, qualia ſunt infinita propemodum in ſocietate vitæ humanæ, conſidera Martem, Venerem & Mercurium, ſi illorum aliquis conſtituatur in locis magiſterii aptis. Et ſi plures vno ſie conſtituantur, varietatem ſtudiorum, artium vel opificiorum tractabit, ex quibus illa erunt nato frequentiora & magis diuturna quæ á fortiore planeta decernuntur.

Quod ſi nullus horum per primam vel ſecundam regulam dominus magiſterii fuerit, ſed per tertiam quartam aut quintam, Hi plærunq; obſcuram & ignobilem artem, eamq; tardius & negligentius tractant, aut in otio ſine exercitatione inſigni vitam degunt.

Qualitas Magiſterij.

Qualitas magiſterii, ſeu artis genus cognoſci poteſt ex natura & proprietate *planetæ decernentis opificium ex tribus illis, quos dixi Marte, Venere & Mercurio. Et ſigno quod* peragrat, Item configuratione eius cum aliis planetis. Vbi ſemper potior aſpectus præferendus eſt imbecilliori. Et ſi duo dominantur magiſterio, fortior imbecilliori anteferatur.

MARS gubernator magiſterii, efficit milites, *pugiles*, fabros ærarios tormentarios, fuſores, cauteria exercentes, Chirurgos. &c. *In ariete, Leone* Scorpione venatores, quod ſimiliter ſignificat vbi dominum magiſterii fortis aſpexerit.

VENVS domina magiſterii Muſicos efficit, præſertim ſi à gubernatore ſigni quod peragat aſpiciatur, Item aulicos præfectos gynecæorum aut muliebri fauore euectos, pictores precioſarum veſtium vel gemmarum inſtitores, phrygiones, pharmacopolas, aromatarios. &c. Eadem efficit ſi ipſa quidem à domino magiſterii remota, tamen aſpexerit ſignificatorem magiſterii fortis exiſtens.

MERCVRIVS facit literatos, mathematicos, Geometras, Arithmeticos, ſcribas, Poëtas, Negotiatores, mercaturæ deditos, monetarios, nummularios, ſtatuarios, tornatores. &c.

Hæ ſunt naturales ſignificationes Martis Veneris & Mercurii, quæ tamen aut intenduntur aut remittuntur pro ratione configurationis cum Saturno, Ioue & Sole. Item pro ratione ſignorum in quibus conſtituutnur.

Sic Mars Saturno commixtus maligno aſpectu, mirifice imminuit à Marte ſignificatum magiſterium, pro militibus efficiens calones & lixas, pro chirurgis expurgatores cloacarum ac caminorum, coquos, mangones, balneatores, lictores. &c.

Si Martem Iuppiter aſpexerit, efficiet omnia præſtantiora, vt capitaneos tribunos militum miniſtros regios, præfectos vectigalium. &c.

Si Martem Sol aſpexerit, ſimiliter opificia illuſtriora decernit, ſed minus quam vbi Iuppiter eum aſpiciet.

Eadem ratione, Si Venerem vel Mercurium, aſpexerint Saturnus, Sol vel Iuppiter intenduntur ſignificationes vel remituntur pro aſpicientium natura,

natura, vt Mercurium magisterii dominum Iuppiter aspiciens, efficit claros oratores, doctos, celebres, cum potentibus viris familiaritatem habentes, iudices. &c.

Cum Saturno, procuratores seruiles, tornatores, figulos, coriarios, fartores. Item somniorum interpretes, superstitiosos. &c.

Sic cum Venere Saturnus, vtroque male affecto vel alterutro, facit lenones, caupones, textores. &c.

Signorum autem proprietas hæc est.

Aequinoctialia & Solstitialia conducunt ad artes, quæ in ingenii contemplatione versantur, vt Geometriam, medicinam, interpretationes, agriculturam.

Signa quibus sunt humanæ figuræ, vt Gemini, Virgo, Aquarius, Libra, conducunt ad liberalium artium cognitionem, & earum quæ in vita maximum vsum habent.

Quadrupedum figuræ, vt Aries, Leo, Sagittarius, ad mechanicas artes, negotiationem, fabrilem, architectonicam & metallica.

Terrestria & aquatica signa, vt Taurus & Capricornus: Item Cancer, *Scorpio, Pisces, ad tractandas res quæ circa aquas versantur, nauticam, nauium, fabricationem, salsamenta, herbas. &c.*

Ac de genere artis nati hoc modo à dominatoribus magisterii & signis in quibus illi versantur, denique superiorum planetarum, ad hos configuratione, coniectura sumenda est.

Successus autem & celebritatem opificii ratiocinaberis ex constitutione & fortitudine significatoris seu domini magisterii, Qui si fuerit potẽs ratione essentialium dignitatum, & liber ab oppugnatione maleficarum partili vel platica, in cardinibus & orientalis, facit artifices celebres, antecellentes aliis, venustos, gratiosos, aut publica opinione industriæ & artis claros.

Sin debilis fuerit, occidentalis aut cadens ab angulo, aut à maleficis læsus hostili radio, reddit ignobiles, inuenustos, inhabiles, aliis subiectos, contemptos in sua arte, parum lucrantes, facile in repræhensionem aliorum incurrentes. &c.

Quod si fortis per se, id est, ratione dignitatum essentialium fuerit magisterii dominus, sed à maleficis læsus, significat quidem *fortunam, sed multis* periculis & impedimentis coniunctam: Saturno aduersante, propter timiditatem, desperationem, imbecillitatem aut ignauiam: Marte propter temeritatem, violentiam aut infamiam. &c. Cum ambo lædunt magisterii dominum, significantur maximæ & multiplices aduersitates.

EXEMPLVM PRIMAE Genituræ.

Mercurius in hoc themate magisterii dominium obtinet, constitutus in dignitatibus suis extra combustionem & radios Solis, in angulo occidentis. Cunq; fortis sit & in signo humano, scilicet Virgine, significat hunc natum ingenii felicitate ac dexteritate naturali, doctrina præstantem, & in literis clarissimum futurum, atque eas artes quas sequetur, & cito & facile assequuturum, peritum etiam negotiorum vitæ cõmunis & industriũ futurum.

Ex arte sua vtilitatem & nominis celebritatem consequuturum similiter

promittit Mercurius ratione dignitatum quas in Virgine habet & anguli. Saturnus tamen quadrato radio Mercurium πλατικῶσ infestans, timiditatem quandam & animum remissiorem, humilem, ac desperabundum arguit, Item æmulos, cum sit dominus duodecimæ.

EXEMPLVM SECVNDAE GENITVRAE.

In hac genitura Mars propter dominium medii cœli, magisterii seu artis nati significator est, qui cum fortis sit, & in signo Iouiali, ac cum Sol fortis triangulari aspectu intueatur, decernit nato magisterium seu officium præstans & Martiale, vt præfecturam aliquam vectigalium vel exactionum, aut principis ministerium, aut simile in Repub. quod sit de natura Martis, sed præstans & cum auctoritate coniunctum.

Cunq; Mars in Sagittarii principio versetur, quod humanam figuram habet, liberalium artium solidam cognitionem decernit. Item negotiationũ peritiam conferre videtur, in quibus tamen non adeò fœlix erit, cum Mars significator artis cum Mercurio, planeta negotiationis prorsus nullum aspectum habeat.

Celebritatem nominis publicam, eximiam autoritatem, & popularem fauorem confert Mars potens per se, & ratione loci, nullo malignorum aspectu læsus. Cor scorpii, stella regia cum Marte, violentiam quandam in defendenda ac retinenda autoritate notat.

DE AMICIS.

An habiturus sit amicos natus hoc modo inquiritur.

Primo considera planetas constitutos in vndecima & prima domo, qui erunt aut benefici aut malefici, aut mediocres.

Benefici, ut Iuppiter & Venus benè in eis locis affecti & fortes, in genere decernunt multorum amicitiam & familiaritatem sincerã atq; vtilem nato, Idem decernit caput Draconis Lunæ, præsertim in Geminis, Piscibus, Cancro, Tauro, Libra, Leone. Sin male affecti fuerint benefici, mediocritatem huius rei significant, hoc est, amicos partim sinceros, partim fucatos, Idem decernit caput in Sagittario, Scorpio, Capricorno, Aquario, Ariete, Virgine.

Malefici: Saturnus & Mars in illis locis fortes, multos quidem amicos decernunt, sed maiori ex parte fucatos.

Si sint debiles, paucos & eos infidos. His æquiparatur cauda Draconis Lunæ, excepto Marte, in quo constituta par est maleficis potentibus.

Mediocres, vt Sol, Luna, Mercurius & pars fortunæ in vndecima vel prima benè affecti, multitudinem amicorum mediocrium decernunt, fidelium tamẽ magis: Male affecti, paucitatẽ amicorũ, & plærosq; infidos & instabiles Si plures diuersæ naturę in illis locis constitutæ fuerint, mixturã significãt & amicorũ diuersitatem, sed principale iuditiũ sumatur à potẽtiore planeta

II.

Cum nullus planeta in vndecima vel prima domo versatur, considerandus est dominus vndecimæ, vtrum sit beneficus & fortis seu debilis, maleficus, vel mediocris: & secundum eius naturam similiter, vt iam dictum est, de amicorum numero iudicandum.

Qua

Hæc cognoſcitur ex natura planetarum, qui in vndecima & *prima* verſantur, ſi id contingat. Item qui vndecimæ ac primæ imperant, conſiderato etiam ſigno intercepto.

SATVRNVS imperans vndecimæ vel primæ, aut in ijs domibus conſtitutus, ſignificat amicos de ſua natura, videlicet Saturninos, ſenes, agricolas, metallicos, lapicidas, ſordida opificia tractâtes, auaros, fœneratores &c.

IVPPITER: Eccleſiaſticos, prælatos, Iuriſperitos, nobiles, diuites, prouinciarum præfectos, honeſtos, verecundos &c.

MARS, capitaneos, milites, chirurgos, ſuperbos, audaces, inuerecundos, opifices, ϐχνὰνσονσ, ruffos &c.

SOL: Reges, principes aut magnatum conſiliarios, autoritate præſtantes, claros, magiſtratum gerentes &c.

VENVS: muſicos, poëtas, phrygiones, pharmacopolas, amatores, luſores urbanos, homines lætos, comptos, mulieroſos &c.

MERCVRIVS: Ingenioſos, artifices præſtantes, doctos, cancellarios, mathematicos, poëtas, ſcriprores, mercatores, ſagaces, callidos &c.

LVNA viduas, matronas nobiles, legatos, nuncios, nautas, piſcatores, balneatores, plebem, homines inconſtantes, rerum nouarum cupidos.

CONSTANTIA AMICORVM.

Vtrum amici ſint conſtantes & certi futuri aut inconſtantes & mutabiles ſumitur ex cõſideratione ſigni vndecimam domum occupantis, Quod ſi fixum fuerit, ſocietates firmas & indiſſolubiles decernit: Si mobile, mutabiles & cito diſſolubiles: Sin commune, mediocres.

EXEMPLVM PRIMAE GENITVRAE.

Luna in prima domo, debilis per ſe, & Saturni quadrato afflicta, paucos amicos decernit, eosq; inſtabiles, & quibus non ſit fidendum.

Amici huius nati erunt Lunares, Iouiales & Saturnini: Luna enim in prima verſatur: Iuppiter dominus eſt vndecimæ & ſigni quod in prima intercipitur: Saturnus imperat ſigno horoſcopanti. Ex his Saturnini erunt minus candidi alijs, ſimulatum amorem præ ſe ferentes, ac facile deficientes, quia Saturnus etiam duodecimæ dominus eſt.

Signum commune in vndecima, mediocriter conſtantes amicos decernit, non prorſus ſtabiles aut certos.

EXEMPLVM SECVNDAE GENITVRAE.

Mars natura malignus planeta cum parte fortunæ cuius natura mediocribus planetis ſimilis eſt, in vndecima, mixturam & amicorum diuerſitatem ſignificat. Cum autem Mars planeta ſit & potentior parte fortunæ, ſecundum eius naturam & conſtitutionem de amicis, iudicandum erit, qui cũ ſit maleficus & potens in hoc themate, multos quidem amicos largitur, ſed eos maxima ex parte fucatos.

Amici huius nati erunt homines, Martiales, Iouiales & Saturnini. Nam

Mars vndecimam tenet: Iuppiter dominus est signi vndecimæ: Saturnus horoscopantis & in prima intercepti. Ex his Iouiales minus erunt candidi, cum Iuppiter non tantum vndecimæ: sed etiam duodecimæ imperet.

Mediocrem constantiam amicorum significat signum commune in vndecima, perinde vt in præcedenti exemplo.

DE INIMICIS.

Iuditium de inimicis sumitur ex consideratione planetarum qui in septima & duodecima domo versantur. Itē planetis qui luminaribus opponūtur.

Quod si plures in his locis constituuntur, portendunt plurimos inimicos & aduersarios. Contrà, si pauci aut nulli Cauda & caput Draconis æquiparantur planetis. Sic Almuten primæ in duodecima domo, vel duodecimæ domus Almuten in prima, significat multos inimicos. Item Almuten septimæ in prima, aut primæ in septima.

Quales inimici sint futuri.

Hoc iudicatur à natura planetarum, qui *in septima aut duodecima constituti sunt. Deinde dominis signorum septimæ & duodecimæ domus,* Item *planetarum natura qui luminaribus* opponuntur. Hæc in præcedente capite exposita sunt. Hoc discrimen tamen obseruabis septimā & planetas luminaribus oppositos significare apertos inimicos, duodecimam vero occultos.

Quandoquidem planeta significauerit simul & amicos & inimicos, quod fit cum est dominus vndecimæ & corpore constituitur in septima, tunc homines, qui à tali planeta significantur, erunt nato partim inimici, partim amici, sed tamen magis inimici, quia plus valet præsentia planetæ in loco inimicitiarum q̃ dominium absentis in loco amicitiarum. Sic & contra si dominus duodecimæ in prima constituatur, magis amicos significat quam inimicos futuros eos homines, qui sub eo planeta continentur.

Potenta inimicorum raciocinari potest:

Primum à *natura planetarum, qui decernunt inimicos.*

Secundo à loco figuræ cœlestis, in quo constituuntur.

Tertio à fortitudine eorum ratione dignitatum essentialium.

Benigni significant potentes inimicos, Maligni, viles, & obscuros.

Tam benigni quam maligni si fuerint in angulis, potentes: in succedentibus, mediocres: in cadentibus, viles hostes decernunt.

Eodem modo constituti in dignitatibus essentialibus præcipuis, potentes hostes significant peregrini, in suis detrimentis vel casibus, obscuros: In triplicitatibus, terminis aut finibus, mediocres hostes.

Ex collatione igitur harum trium conditionum potentia aut obscuritas inimicorum colligi potest.

VICTORIA, hoc est verum natus suos inimicos & aduersarios vincet, aut ab iis vincetur, his regulis iudicatur.

1 Dominus septimæ decimam, aut decimæ septimam occupans, significat victoriam nati ab inimicis & aduersantibus. Similiter dominus duodecimæ decimam, aut dominus decimæ duodecimam domum occupans, modo non

do non sit in domicilio maligni planetæ.

2 Dominus duodecimæ retrogradus, aut in suo casu vel detrimento, & in sexta domo, similiter victoriam significat.

3 Luminaria, præsertim vero conditionarium, vt interdiu Sol, in nocturna genitura Luna, si constituatur in essentiali dignitate Martis, & sit cum eo in signis permutatis, extra octauam domum tamen, decernit manifestam victoriam. Idem significat Mars circumdans alterutrum luminare fortior existens præ cæteris planetis.

Cum duo hostes in suis genituris vterq; habuerint victoriæ significationes considerabis vter plura & euidentiora victoriæ & fortunæ signa in sua gene si habuerit, penes hunc enim plærunq; victoria stabit.

Quorum genituræ autem ad has regulas referri nequeunt, ii plærumq; ab hostibus vel aduersariis suis vincuntur.

EXEMPLVM PRIMAE GENITVRAE.

Sol, pars fortunæ & Mercurius in septima, Item Cauda draconis Lunæ *in duodecima, plures huic nato inimicos decernere videntur.* Idem significat quod vnus *planeta vtriusq; domus primæ & duodecimæ* dominiū obtinet Tales enim facile & nonnunquam etiam præter culpam in multorum odia incurrunt.

Inimici erunt homines Mercuriales, Solares, Saturnini & Martiales, ex quibus tamen Saturnini non ita acerbi erunt, cum Saturnus etiam horoscopi dominium obtineat. Mercuriales omnium acerbissimi & maxime infesti erunt, cum Mercurius in septima versetur & Lunæ etiam oppositus sit.

Mercuriales & Solares inimici potentes erunt, & plurimum nocere poterunt, propter illorum planetarum constitutionem fortem.

Saturnini mediocres, magis tamen obscuri & viliores, quia Saturnus licet angulum occupet, est tamen natura malignus planeta, ac peregrinus.

Martiales parum nocere poterunt, ob debilem Martem.

Victoriam ab inimicis vnica tantum regula promittit, videlicet dominus duodecimæ *in decima cōstitutus, sed hæc ob Saturnū peregrinū* debilior est.

EXEMPLVM GENITVRAE SECVNDAE.

Pauci huic nato inimici decernuntur, cum septima & duodecima vacuæ sint à planetis, ac in duodecima tantum caput Draconis constituatur.

Inimici si qui erunt, Lunares potissimum Iouiales & Venerei erūt, cum Luna sit domina septimæ, & caput draconis de natura sit Iouis & Veneris. Qui à Venere decernuntur, imbecilles erunt, obscuri & parum poterunt nocere. Lunares præ cæteris plus poterunt, Iouiales minus.

Victoriam manifestam ab inimicis & aduersariis promittunt huic nato, Iuppiter dominus duodecimæ in suo detrimento, in sexta, & Mars omnium planetarum Lunam partiliter aspicientium fortissimus. Quod supra quoque de honoribus latius exposuimus.

DE MVTVA BENEVOLENTIA VEL dissidio inter duos priuatos.

Mutuæ beneuolentiæ seu familiaritatis, quæ ex arcana naturarum & ingeniorum similitudine oriri rectè existimatur, & naturalium dissidiorum significationem, primo ex consideratione planetarum in horoscopo versantiũ in utraq; genitura sumes. Nam si idem planeta vtriq; in horoscopo constituitur, mores erunt ijdem, cumq; morum similitudo conciliatrix sit amicitiæ, fit vt inter tales facile coalescat amicitia & societas firma.

II.

Quod si non constituantur ijdem planetæ in horoscopo, sed diuersi, considerandum est vtrum illi sint inuicem natura amici vel inimici. Quod si amici fuerint, amicitiam & beneuolentiam significant. Si inimici, dissidia, lites, & alienationem animorum. Sed tamen hæc regula non tam perfectã beneuolentiam præstat vt superior. Ideo sequens tertia obseruatio cum hac est coniungenda, vt ex testimoniorũ cõgruentia firmius iuditiũ cõstituatur.

♄ Sunt { ♃ ☉ ☽ } Reliqui { ♂ ♀ } Inimici, magis tamen ♀ quam ♂

Amici {
♃ Omnes præter Martem.
♂ *Venus tantũ. Reliqui eũ oderunt sed magis* (♃ ☉)
☉ (♃ ☿) Reliqui omnes inimici.
♀ Omnes planetæ præter Saturnum.
☿ { ♄ ♃ ♀ } Reliqui sunt inimici eius.
☽ { ♄ ♃ ♀ } Reliqui inimici.
}
☊ ☋ { ♃ ♀ ♄ ♂ }

Si plures in horoscopo vel vtrique vel alterutro constituantur, fortior reliquis proferatur.

Si nullus planeta in horoscopo versatur, considera vtriusq; genituræ dominos ascendentis, Qui si fuerint idem planeta, aut diuersi in permutatis signis, hoc est, recepti mutuo ex domiciliis uel exaltationibus, vel in eodẽ signo in vtraque genesi, vel in signis bono aspectu seu mutuo intuentibus, vtpote Trigono vel sextili, ostendunt naturarum societates firmas, & familiaritatẽ dulcem ac diuturnã, eoq; magis, quo partilior fuerit ille aspectus.

Quod si domini ascendentium fuerint, diuersæ naturæ, & tamen bono aspectu inuicem copulati, significatur quidem concordia & amor mutuus, sed maior & sincerior ab eo, cuius horoscopi dominus est planeta benignior: econtrà minor & dilutior ab eo, cuius horoscopi dominus est maleficus &c. Eodem modo aspectus sinister & dexter discernantur. Efficacior est sinister. Ideoq; eius amor erit firmior & ardentior, cuius horoscopi dominus

alter

alterum sinistro aspectu intuetur: debilior & frigidior, qui dextro.

Vbi autem domini ascendentium in separatis signis fuerint, aut se mutuo hostili radio aspexerint, inter tales difficulter conuenit, & alienati animis diuturna odia & simultates alunt, eoq; magis quo partilior fuerit malignus aspectus, & qui maligniorem horoscopi dominum habuerit, is maiorẽ causam dissidii & odiorum præbebit, & magis premet alterum, atq; in eo similiter plus valet aspectus sinister q̃ dexter.

DE CAPTIVITATE.

Luminare alterutrum læsum ab alterutra maleficarum in angulis coniunctione, oppositione vel quadrato aspectu, ita vt luminarium vtrumq; vel alterum, siue quod læditur à malifeca, siue liberum, constituatur in domibus maleficarum, vt pote ariete, Scorpio, libra, capricorno aut aquario, & altera ex maleficis in Leone aut Cancro, carcerem vel captiuitatem minatur. Innumera sunt exempla talis positus in genituris etiam maximorum principum. Maximiliano Imperatori Sol in angulo occidentis à Saturni quadrato *aspectu ex Imo cœli læsus, vtroq; luminari in domibus Martis, ac Marte in Leone constituto, captiuitatem significat*, quod ei adolescẽti Brugis apud Belgas à suis subditis per seditionem contigit.

Francisco, Regi Galliarum Luna in Aquario in medio cœli constituta, à Marte in Leone, ex angulo imi cœli opposito radio infestabatur, quæ constitutio ei captiuitatem portendebat, in quam incidit bello infœliciter gesto cum Imperatore Carolo V. apud Papiam.

Ioanni Friderico Electori Saxoniæ, Sol Saturno in Cancro coniunctus in angulo occidentis, Luna in libra versante in quadrato Saturni, captiuitatem & plurima incommoda minabatur, quæ ei anno ætatis 44. currente, hoc est anno domini 1547. Mense Aprili electoratus dignitate amissa, post bellum infœliciter gestum cum imperatore Carolo V. duriter euenerunt.

Philippo Landgrauio Hessiæ, Luna in aquario in Imo cœli, à Saturno in Leone, *ex medio cœli infestata, captiuitatem significabat*, in quam incidit anno 1547. *post confectum bellum Smalchaldicum in salinis Saxonicis*, ab Imperatore Carolo V. victus.

Henrico Duci Brunsuicensi, Sol in angulo orientis in Scorpio, à Marte in Leone, quadrato radio ex Medio cœli infestatus, captiuitatem portendit, in quam incidit anno 1545. Mense Septembri victus à ducibus Saxoniæ.

Porro quæ de luminaribus & maleficis dicta sunt, ea hac conditione intelligi debent, Si non in suis dignitatibus principalibus constituantur, aut sint cum beneficis in permutatis signis. Hoc modo enim si ponantur periculum captiuitatis duntaxat afferunt.

II.

Luminare alterutrum in duodecima coniunctum cum altero maleficorũ si imbecilles sint. captiuitates denunciat, Talis est constitutio in Themate Christierni regis Daniæ &c. qui Solem habet Marti iunctum in Cancro & in duodecima domo. Captus est & regno exutus ob tyrannidem à Christiano Principe Holsatiæ & maritimis ciuitatibus Saxoniæ.

III.

Mars

Mars occupans septimam aut duodecimam domum in Ariete, Scorpio, Tauro, Capricorno, Aquario, Leone aut Cancro constitutus, & altero luminarium ab eo Vel Saturno læso aspectu platico vel partili, carcerem minatur.

Ita constitutus est Mars in themate illustrissimi principis Alberti Marchionis Brandenburgensis, Casimiri filij, Mars enim in Ariete in septima Soli platice coniungitur. Captus est anno domini 1547. Die 2. Martii ad Rochlitium Mysniæ oppidum à Ioanne Friderico Electore & duce Saxoniæ.

IIII.

Saturnus & Mars aspicientes se quadrato vel opposito radio, vel coniuncti extra domicilium, altitudinem aut receptionem beneficorũ aut luminarium, si vterq; eorum vel alteruter dumtaxat sit directus & dominum vel altitudinem sibi vendicet in principio septimæ vel duodecimæ domus: carcerem portendunt. Idem minantur si oppositi ex dignitatibus suis vel in permutatis signis, alter eorum primam vel secundam, alter septimam vel octauam occupet, altero dominante signo duodecimæ, Qualis est positus in themate Gabrielis Nutzelii Senatoris Norimbergensis, viri industrij & in rebus gerendis peritissimi, qui Anno 1542. Die 3. Augusti in mari captus est.

V.

Dominus *duodecimæ in essentiali* dignitate Martis & angulum occidentis occupans à maleficis partiliter damnatus, captiuitatem minatur. Exemplum huius regulæ est in genitura viri ornatissimi, doctrina, virtute & prudentia præstantis, Domini Hieronymi Baumgartneri, qui habet Mercurium dominum duodecimæ in Ariete infectum à Saturno per coniunctionẽ partilem in septima domo. Domu igitur ex comitijs reuersurus captus est ab Alberto à Rosenberg viro nobili & equestri.

VI.

Dominus duodecimæ domus in detrimento vel casu suo damnatus à maleficis partiliter vel platice, carcerem portendit.

VII.

Sol & Luna coniuncti in octaua domo in quouis signo, exceptis suis domicilijs & Tauro, *plerumq; carcerem denunciant, nisi interueniat insignis aliqua benignorum prohibitio.*

Exempla harum regularum supra trecenta possem recensere ex familiis principum, nobilium & clarorum virorũ nostræ & superioris ætatis. Quæ autem recitaui hactenus, nequaquam velim in cuiusquam ignominiam, sed exempli & confirmationis causa esse dicta, vt regularum certitudo inde manifesta fiat, *quas si quis* in sua genesi locum habere animaduerterit, is præmonitus cæcos animi impetus frenare, & diligentia ac moderatis consiliis multa magna pericula effugere aut certe graues ærumnas mitigare potest. Principum genituræ in hoc iudicio illustriores sunt quam priuatorum, cum illi pro defensione & salute communi sæpius quam priuati talibus periculis se obijcere cogantur, & iuxta Euripidis versum τῶν βασιλέων ἁμαρτήματα πάντες ἴσασι.

EXEMPLVM PRIMAE GENITVRAE.

Cum nulla enumeratarum de captiuitate regularum ad hanc natiuitatem cõgruat,

congruat, non erit huic nato metuendus carcer aut captiuitas. Saturnus duodecimæ dom⁹ dominus Lunam ex angulis partili quadrato intuens, pericula duntaxat captiuitatis, non ratum effectum significat.

EXEMPLVM SECVNDAE GENITVRAE.

Iuppiter dominus duodecimæ in suo detrimento damnatus à Marte opposito Πλαχτικῶσ captiuitatem minatur. Sed cum receptus sit à Mercurio ostendit eam leuem & imperfectam futuram.

DE MORTE.

Reliqua est consideratio de morte, quæ duplex est: Naturalis & Violenta. Nam repentina mors quiddã velut mediũ *est inter naturalem* & *violẽtã*.

Primum autem trademus nostras obseruationes de *violenta morte*, quibus explicatis, facile est de naturali aut repentina ratiocinari.

I.

Ambo luminaria in signis violentis, diuersis nec contiguis, mortem violentam protendunt: Violenta signa sunt Aries, Libra, Scorpio, Capricornus, Aquarius. Sic dicta quod malefici planetæ dominium vel exaltationem in illis habeant.

II.

Vtrunque luminare cum stellis *fixis violentis intra distantiam* quinque Graduum, mortem violentam minatur.

Violentæ stellæ sunt	Caput Algol	in gradu ferè	20	Tauri
	Oculus Tauri		3	Geminorum
	Hercules		17	Cancri
	Cor Scorpij		3	Sagittarij.

Hæ duæ regulæ autem tunc ratæ sunt & effectum habent, cum dominus horoscopi vel octauæ domus alteri Luminarium corpore iungitur, vel cum Luminare alterutrum dominium sibi in prima uel octaua vendicat.

Hieronymus Sauonarola combustus Florentiæ iussu pontificis ob religionem, Anno. 1498. vtrunque Luminare in signis violentis habuit, & alteri, Lunæ videlicet in Capricorno iunctum Martem dominum ascendentis in *decima domo.*

N. Schlussenfelderus *patritius Norimbergẽsis in publico exercitio* equestri à suo antagonista hasta ictus, cataphractus ab equo *deficiẽte anima* prolapsus, protinus expirauit, Anno. 1546. ei vtrunq; luminare similiter in signis violentis constituebatur, & Soli in sexta Saturnus dominus octauæ corpore iunctus erat in capricorno. Mars autem dispositor luminaris conditionarii fuit in signo humano, scilicet Geminis in vndecima domo, qui autorem mortis hominem amicum & socium futurum significabat.

Ludouicus rex Bohemiæ & Vngariæ, &c. qui anno domini 1526. Mense Augusto, bello cum Turcis infeliciter gesto, occubuit, præcipitatus, vt fertur ab equo in paludoso loco: Solem habuit cum Hercule, Lunam cum corde Scorpii, Venerem dominam horoscopi & octauæ domus iunctam Soli. Cumque stellæ istæ sunt Martiæ, & Mars fuerit in duodecima: ab equis causam mortis orituram portendit.

III.

Alterum luminare in signis violentis, alterum cum stella fixa violenta, itidem mortem violẽtam significat. Sed in hoc casu necesse est vt simul ma-

leficarum altera leminare alterutrum aut dominum octauæ infestet. Talis cōstitutio fuit in themate Bartolomæi VVelseri iunioris, patritij Augustani, qui Solem in Scorpione habuit, Lunam cum oculo Tauri. Porro Saturnus coniunctione, Mars vero quadrato Solem circumdabat. Occisus est igitur ab Hispanis cum suo sodali, qui fuit ex nobili familia Huttenica: Anno. 1545 in India.

Henricus Heintzelius, patritius Augustanus, interfectus Lugduni in Gallijs, Anno. 1529. die. 3. Iulij, similiter Solem habuit in Aquario, Lunam cum Hercule. Saturnus Lunam cōiunctione, Solē oppositione infestabat, Marte Ioui domino octauæ opposito.

IIII.

Ambo luminaria ab vtroq; malefico læsa, ita vt alterum luminare & alteruter maleficorum in signo violento vel cum stella fixa violenta constituatur, mortem violentam portendunt.

Similiter cum ambo luminaria ab vnico duntaxat malefico infestantur, altero maleficorum læso, vel in signo violento versante ac dominium sibi in octaua domo vendicante.

Huldericus im Hoff. patritius Augustanus ita vtrumq; luminare damnatū habuit ab ambobus maleficis. Solē à Marte coniuncto in Ariete signo violento, Lunam á Saturno opposito. Interfectus est Aquilegii. Anno 1517. Die 2. Februarii.

V.

Coniunctio Saturni & Martis in angulo, potissimum vero Medii cœli, in signo violento, aut alterutrū luminare infestans, mortem violentā minatur.

Idem facit coniunctio, oppositus vel quadratus aspectus maleficarū mutuus in aliis quam violentis signis, ex angulis tamen, altero eorum dominiū octauæ domus sibi vendicante.

Huius regulæ aliquot exempla collecta sunt in tractatu Astrologico Lucæ Gaurici, habet etiam aliqua Hieronymus Cardanus in supplemento Ephemeridum.

VI.

Maleficus planeta in octaua domo, & dominus octauæ læsus à malefico aut natura *sua maleficus existens ac in signo violento, ambobus luminaribus aut eorum altero læso aut in signo violento constituto, mortem violentam portendit. Talis est* genitura Ioannis Pauli Zasii, qui Anno. 1552. Die 6. Iunii in Vngaria occubuit interfectus á Turcis. In figura enim eius cælesti Mars in octaua, & dominus octauæ Iuppiter in Martis quadrato cōstituitur Sol in Aquario signo violento Similis est constellatio in Simonis Málichii Augustani natiuitate, qui Saturnum in octaua in Scorpione retrogradum habuit, Venerē dominam octauæ læsam à Marte per coniunctionē, & vtrumq; luminare à Saturno impeditum.

VII.

Dominus octauæ in horoscopo in suo detrimento vel casu, aut in signo violento, vel cū stella fixa violenta, altero luminarium à maleficis infestato: violenta morte perituros significat.

Idem decernit dominus octauę in suo detrimento vel casu læsus ab altera maleficarum, simul Luminarium altero aut maleficorum altero in signo violento posito.

Huius regulæ exemplum est genitura Ioannis Mariæ ducis Mediolanensis

ris &c. qui Lunam dominam octauæ in horoscopo cum *stella fixa* violenta, & cum cauda Draconis habuit. Sole ab opposito Marte infestato: occisus est in templo à suo ciue.

Iohannes VVelserus Senior, patritius Augustanus submersus in aquis casu anno. 1527. Dominum octaue Iouem in detrimẽto suo constitutum habuit, in Saturni opposito, qui in Piscibus in duodecima constitit, Sole in Ariete signo violento decurrente.

VIII.

Dominus horoscopi in signo violento vel à maleficis infestatus, Et dispositor luminaris conditionarii similiter vel in signo violento vel afflictus à maleficis: βιοθανατους: significat. Sed in hoc casu necesse est aut dominũ horoscopi aut dispositorem luminaris vtroq; in commodo laborare, si alter vno tantum laboret, Excepto eo casu cum vterq; est natura maleficus. Sin alter beneficus, alter vero maleficus fuerit, oportet beneficũ duplici incommodo laborare, hoc est in signo violento esse & afflictum à maleficis, Maleficum aut in signo violento aut ab altera maleficarum esse afflictum.

Huius aphorismi plurima geniturarum exempla passim reperiuntur. Talis fuit genitura bellicosissimi herois, Caroli Burgundiæ ducis, qui occubuit *Anno. 1476. ab Heluetiis superatus.*

Item Alexander Medices Dux Florentinus à suo consobrino interfectus.

Petrus Aloisius Farnesius Dux Placentiæ *Pauli. 3. Pontificis filius* multis vulneribus confossus.

Erasmus Hervvardus, patritius Augustanus, qui in exercitu Imperatoris contra Gallos fortiter pugnans apud Allobroges occubuit anno. 1544.

IX,

Dominus horoscopi in octaua natura maleficus & damnatus, morte violenta natum periturum significat. Quod si non sit natura maleficus, attamen in signo violento & dãnatus à maleficorũ inimico aspectu, perinde est.

X.

Octauæ & primæ domus domini vtriusq; luminaris dispositores, altero eorum versante in suo detrimento vel casu, altero natura malefico & damnante alterutrum Luminare constitutum in signo violento, violentæ mortis *exitum portendit.*

XI.

Luna in septima, in signis quæ *violentas stellas habent,* vtpote Tauro, Geminis, Cancro, Sagittario, & à Sole inimico radio aspecta, vel maligno planeta octauam occupante aut saltem dominium octaue domus sibi vendicante ita vt simul violentum signum occupet, similiter violentæ mortis iuditium præbet.

Ab his aphorismis singulis violentæ mortis inditja satis certa sumuntur. Fieri autem potest interdum vt non tantum vnus, sed plures simul ad eandẽ natiuitatem accommodari possint, Id vbi fit, eó tristius est & euidentius ac certius violentæ mortis signum. Similiter vbi in aphorismis alterius luminaris damnati mentionem fecimus, si id vtriq; eueniat, itidem ominosum & violentum est. Item si vtraq; maleficarum aliquem significatorẽ infestet. &c.

Porro omnium horum aphorismorum vna est generalis exceptio, quæ omnibus regulis, etiam cum plures in eodem significato congruunt, derogat: videlicet, beneficorum planetarũ alterius in octaua, alterius in prima domo cõstitutio. Hic positus omnẽ violẽtæ mortis significationẽ, quãtumuis tetrã,

 infringit

infringit & tollit, Quiſi abſit, violentam mortem ſatis euidenter ſignificāt ſinguli hi aphoriſmi, ex quingentarum prope natiuitatum exemplis adhibita diligenti conſideratione eruti, quarum themata plurima integrè exponā Deo iuuante in opere noſtro Aſtrologico, in quo iucundiſsimam varietatē plurimorum caſuum ita deſcribam, vt ſingulæ regulæ ſuis exemplis illuſtratę velut hiſtoriam multorum clarorum virorum, variorum caſuum, mirabilium viciſsitudinum, fortunæ & honorum ac diuerſiſsimorum in vita euentuum cōplectantur, cum lectoris voluptate & vtilitate, vt ſpero, nō cōtēnēda

GENVS MORTIS VIOLENTÆ.

Id *ſumitur* à planeta malefico, qui grauius lędit ſignificatores mortis aut præcipuam autoritatem ac vim habet in locis ſignificatorum mortis, videlicet luminarium, domini horoſcopi domini octauæ, vel harum domorum, cō miſcendo ei naturam ſigni & interdum domus cœleſtis, in quā verſatur, ſignificationem. Quod facile ex exemplis ſuperioribus conſtabit.

Saturnus pro ſua natura ſignificat mortem ex ſubmerſione ſeu naufragio, venenis, & ruina.

Mars ex ferro, igne, fulmine, vel globo bōbardario, laceratione beſtiarū & raptatione ſeu ictu equorū. Vterq; propter caſū ab alto vel ſtrāgulationē.

Signorum natura & ſignificatio hæc eſt:

Ignea, ex igne, fulmine vel bombarda mortem minantur.
Aerea, caſum ab alto & ſtrangulationem.
Aquea, ſubmerſionem.
Terrea, ruinam.
Humana, ab homine per arma au violentiam.
Venenata, à veneno.
Domorum natura non eſt obſcura.
Decima domus mortem à magnatibus aut eorum iuſſu futurā ſignificat
Duodecima, ab equis, vel occultis inimicis.
Sexta à ſeruis vel vicinis. Et ſic de reliquis.

Quodſi *natura ſigni & planetę ratiōe qualitatū cōuenerit, vt Martis in ſigno igneo cōſtitutio, ſatis euidēter gen⁹* mortis declaratur, videlicet ex igne &c.

Si diſcrepant natura planetę & ſigni, conſideranda ſunt reliquorum ſignificatorum ſigna, & conuenientia eorum in eodem decreto diligenter quærenda. Regulis enim hęc varietas complecti nequit, ſed iudicantis acrimoniæ ac ſolertiæ relinquitur.

Quod ſi nulla iuxta præcedentes regulas, violentæ mortis ſigna in genitura aliqua ſe offerant, ſatis magnum iuditium eſt eum natum morte naturali moriturum ex infirmitate ſeu morbo, vt ferè fieri ſolet. Huius qualitas ſumitur à natura planetæ & ſigni octauam domum occupantis, vbi ſi plures fuerint, ſemper fortior cæteris præferatur. Si nullus in ea domo planeta fuerit, à natura planetæ octauæ domui imperantis, & ſigni, in quo verſatur. Supra autē in loco de infirmitatibus oſtendimus, qui morbi à quibus ſignis & planetis ſignificentur, quæ huc facile referri queunt.

Repentina mors, quæ velut medium quiddam eſt inter violentam & naturalem, violentæ tamen propior, portendi intelligitur ex imperfecta conſtitutione,

tutione, quæ violentam mortẽ significatura fuerat: vt si iuxta quartum aphorismum superiorem, ambo luminaria essent ab vtroq; maleficorum læsa, & alterum eorum tantum in violento signo constitueretur, imperfecta foret significatio violentæ mortis, ac pro ea potius repentinã ac subitaneam mortem decerneret &c. Nam ad perfectam violentæ mortis constitutionem requirebatur, vt etiam altera maleficarum violentum signum obtineret. &c.

EXEMPLVM PRIMAE GENITVRÆ

Nulla regularum violentæ mortis ad hoc thema congruit, neq; etiam repentinæ mortis iuditia. Ergo morte naturali hunc natum moriturum significatur, cuius originem venturam Venus in octaua domo constituta ostendit ex Epatis affectione vel similibus morbis, quos Venus affert, vel ex membrorum vitio quibus Libra significat. Ea ex superioribus facile constabunt.

EXEMPLVM SECVNDÆ genituræ.

Ad hoc thema propemodum quartus aphorismus de morte violenta congruit, sed Venus interueniens coniunctioni Solis et Saturni, impedit decreta illa tristia. Pericula tamen mortis violentæ portendũtur nato à sodali per ferrum aut bombardam, ob Martem ex vndecima Lunam affligentem, Aut à lapsu cum equo vel ruina, propter Saturnum qui Soli infestus est. Ego existimo moriturum hunc natum ex Mercuriali morbo aliquo, vel affectione mala eorum membrorum, quibus Mercurius præest, Si quidem is octauæ domus dominium obtinet.

DE ELECTIONIBVS.

ELECTIONEM nominãt Astrologi obseruationem dierũ vel horarum, quæ ratione cuiusq; genituræ, si ea cognita sit, & ratione motus *cœli ac siderum auspicatæ sunt rebus gerendis*: vel contra.

Quia autem *hæc pars doctrinæ Astrologicæ* magis commentis Arabum & Chaldæorum mirum in modum deprauatè tradita *est, vt qui egressi artis* metas, auaritia vel ambitione, infinitas ἐπιλογὰς rerum minimè subiecta rum astris effinxerunt, recte discernenda sunt à Physicis obseruationibus superstitiosa & ἀναιτιολόγητα temporũ discrimina, quæ sine naturalium causarum consideratione fiunt, qualia sunt nugacissima illa ἀποτελέσματα περὶ τῶν ἐρωτήσεων quæ nulla ratione explicari aut ad causas Physicas referri queunt, Item Sortes & his similia.

Physica temporum discrimina sumpta sunt á viribus ac constantissimo motu cœli et corporum cœlestium, ex quorum consideratione, si rite euolantur multa æconomica, politica, & ad ualitudinem conseruandam propè necessaria præcepta eruũtur, qualia sunt etiam in medicorum doctrina de diebus criticis, de humorum in corpore redundantia, aut defectu. Item in præceptis rei rusticæ annotata ab antiquissimis poëtis & scriptoribus eius doctrinæ. Horum obseruatio vt non officit religioni, ita si ad vsum dextrè & prudenter accommodetur, vtilitatem habet non contemnendam.

Duæ sunt autē Electionū Physicarū velut species: Vniuersalis & Particularis.

Vniuersales electiones appellare possumus eas, in quarum consideratione non requiritur alicuius natiuitas, vt in inchoationibus certarum operarum, & iis quæ ad agriculturam pertinent: Aut vbi haberi nequit thema natalitium eius, cui electiones fiunt, qualis est ratio electionum, quæ passim in diariis annotantur.

Particulares electiones ferè ad medicationes referri possunt, quorum præcipua capita sunt.

- Sectiones venarum.
- Pharmaca.
- Certi alicuius membri curatio.
- Ablactationes infantum.
- Balnea.
- Sectiones capillorum aut vnguium.
- Coniugia.
- Dignitatum & officiorum fausta exordia.
- Peregrinationes, legationes, nauigationes, commigrationes.

Harum actionum Electiones fieri possunt, cum naturales sint, & natura adiuuante perficiantur. Ideoq; à siderum positu & constitutione iuuari aut impediri egregiè possunt.

Tempus in electionibus obseruandū duplex est: In quibusdam sufficit solum diem eligere, quo Luna iungitur planetæ gubernatori negotiorum, pro quibus electio fit, aut gubernator negotii in dignitatibus suis constitutus ad felicem aspectum peruenit.

In quibusdam non satis est diem solum eligere, sed etiam hora obseruanda est, constituto totius cœli themate, vt significatores in cardinibus feliciter consistant.

DE VNIVERSALIBVS ELECTIONIBVS.

Cum thema natalitium eius, pro quo fit electio, haberi non potest in genere, hoc modo agendum est.

I Considera *diligenter ipsius rei naturam & qualitatem, vt pro pharmacorum electione ætatem, &* temperamentum hominis, Item humorum extrahendorum naturam & qualitatem &c. Prolixius hoc exponit Pontanus, in explicatione. xi. Aphorismi centum propositionum Ptolomæi. Deinde artis rationem vt ne humores crudos purges &c.

Postea considera cœlestia corpora hoc ordine.

I.

Luna sit. { Libera ab omnibus impedimentis & fortis.
In signo conuenienti rei propositæ, fixo vel mobili.
Mobilia enim & communia, celeritati negociorum conferūt fixa stabilitati.

In fausto aspectu eius planetæ, qui habet significationem rei propositæ.

II.

Planeta significator rei propositæ, (vt Venus pro nuptijs, Iuppiter pro diuitiis) sit constitutus in suis dignitatibus.

III.

Planeta

Domus significatrix rei propositæ, atq; eius dominus careant prorsus malescarum aspectu, & cum bonis, si fieri potest, configurentur. IIII.

Ascendens signum sit de natura rei propositæ, vt pro itineribus & negotiorum celeritate signa mobilia, pro rixis Martia &c. pro stabilibus fixa: & eius dominus sit directus & bene constitutus: ita vt si fieri potest, fœliciter suam domum aspiciat, Luna ab ea domo remota corpore. Et hæc constitutio in omnium operum inchoatione fausta iudicatur.

Hæc consideratio in Vniuersalibus sufficit, vbi figura natalitia haberi non potest. Quæ vero sine genitura aliqua considerantur vniuersaliter, ea maiori ex parte ad agriculturam pertinent, & his capitibus continentur.

- De satione & plantatione.
- De materia cædenda.
- De venatione, piscationibus, aucupio.
- De structuris ædificiorum.
- De hæreditatibus adeundis.
- De commigratione seu domorum mutatione.

Horum explicationem breuiter subiungemus, Hoc tamen præmonentes in *sationibus, insitionibus, plantationibus*, & *materia cædenda primo omnium habendam esse rationem vniuersalium temporum, terræ*, seminum & surculorum. Postea particularium, ea ratione, vt sequitur.

Plantandi & seminandi idonea tempora à Lunæ motu sumuntur, quæ si citra impedimenta in Ariete, Cancro, Virgine, Libra aut Capricorno constituatur, sationibus apta est, in Tauro & Aquario plantationi Si in terram humidam, aut semen natura humidum seres, aptius est luna dimunuta lumine, aucta commodior est aridis.

Deinde cum Saturnus naturalem significationem plantarum & agriculturæ habeat, positus in bono cæli loco & fausta ad Lunam configuratione non parum momenti habet.

Quod si omnino figuram cœli super hac electione constituere voles, in ascendente ponatur vel Taurus, Cancer, Virgo, Libra, Aquarius vel Capri*cornus, ita vt Mars debilis*, & in abiecto loco, nullo prorsus aspectu ascendens, aut Lunam intueatur.

Materiæ cædendæ idoneum tempus in genere *est à Solstitio æstiuo vs*q; ad brumam vel Ianuarii Calendas, quòd his mensibus ligna arescente & pereunte humore sicciora & solidiora fiant. In specie vero à plenilunio in vltimam quadram cæsa materia ædificiorum cariem non facile sentit.

Venationes tentandæ sunt Luna versante in Ariete, Leone aut Sagittario, & Marti amico radio configurata.

Quod si figuram Electionis cœlestem constituere libet, horoscopet signum mobile, Luna in medio cœli, in Iouis aut Veneris aspectu amico, Marte si fieri potest in septima constituto, & Saturno cadente ab angulo, vt ascendens prorsus non aspiciat. Si truculentas feras venaberis, quales sunt lupi, vrsi, apri, Mars absit ex angulo, Luna è sexta domo & impedimentis maleficarum, nec ascendat signum quadrupes.

Piscationes conuenientiores sunt Luna in Cancro vel Piscibus versante, & in medio cœli figuræ cœlestis, si ea erigere voles, Venere ex septima Lunam aspiciente, vel Luna ad eam applicante.

Aucupia

Aucupia fiunt commode in signis aeris, videlicet Geminis, Virgine, Sagittario, Piscibus, Luna existente, & ad Mercurium fortunatum, ac in bono loco figuræ existentem applicante.

Vniuersaliter autem Luna applicans planetis retrogradis in angulo versātibus nocet Venationibus.

Ædificiorum fundamenta iacienda sunt obseruato signo & planeta, cui subiectus est locus & ciuitas, siue fortuna sit siue infortuna. In initio operis igitur planeta ille medium cœli obtineat, & cum Ioue coniungatur, aut certè cum felici aspectu intueatur. Luna crescat lumine, & Ioui vel Veneri associetur, separata à Saturno.

Quod si Sagittarius vel Pisces, vel terrea signa horoscopent, à Marte non læsa, & Luna remota abijs, optimum erit.

Item si dominus ascendentis sit in exaltatione sua.

Item si dominus termini ascendentis sit fortuna.

Sit etiam quarta domus fortunata in eo casu.

Huc refer Ptolemæi 36. & 54. Aphorismos Centiloquij diligentissime explicatos à Ioutano Pontano.

Hæreditates adeundæ sunt Luna in dignitatibus suis præcipuis constituta in Iouis aspectu beneuolo, à maleficis non impedita. Si thema cœli ad hanc considerationem erigere libet, vide vt quarta domus signum fixum habeat, & cum suo domino sit salua & beneficorum radijs illustrata. Item vt fortunæ in angulis orientis, et imi cœli dignitatem habeant, luminaribus ea quoq; loca benigniter aspicientibus. Huc pertinet 84. Aphorismus Centiloquij. &c.

Commigrationes & domorum mutationes fieri debent crescente lumine Luna, in signo fixo, & fortunis eam aspicientibus ab ascendente vel quarta. Item secunda domo salua, atq; eius domino supra terram. Quarta item ab infortunis & signis incommodis libera, præsertim Scorpio.

DE ELECTIONIBVS PARTICVLARIBVS.

In ijs quæ ad electiones pertinent, præsertim personarum, diligenter obseruandum est hoc præceptum, prodesse eas nato, si cum eius genitura conuenientiam habuerint. Solas autem & nulla geniture habita ratione, parū prodesse, ac ferè inanes esse, vt si quis pharmacis diem auspicatū eligat, quo Luna per pisces vel cancrum iter faciat, vt plerumq; in diariis hæc annotari solent, & in radice natiuitatis Saturnum habeat positū in eo signo vel Martem, haud auspicato eo die pharmacis vtetur. Eodem modo si quis nuptiis tempus conueniens eligat, quo Venus in dignitatibus suis optimè constituatur, Luna cum Ioue fœliciter posita, nec vllam interim habeat rationē natiuitatis vtrum ea fœlices vel infœlices nuptias decernat. Is quantumuis auspicata electione vtatur, tamen si repugnet natalis constitutio, infœliciter electionem faciet. Neq; vero tantum positus significatorum in radice sed etiam tempus euentus ab eis decretum ac constitutum, vt pote coniugii, honoris, successuum, valetudinis &c. considerari debet, per directionū doctrinam. Nam si hoc nondum aduenerit, parum profuerit, fœlicem electionem fecisse. Hoc enim fundamentum est electionum: Memini me Norimbergæ cuidam

Cuidam diuiti mercatori petenti à me electionem luſui aleæ ludendæ, conſtituiſſe diem & horam, qua ſupra octingentos coronatos lucratus eſt. Cum enim mihi exhiberet geneſin ſuam, depræhēdi Venerem conſtitutam in Sagittario in ſecunda Lunam igitur in eò ſigno conſtitui in aſcendente in Veneris benigno aſpectu. Venus enim præeſt aleæ. Sed cum poſtea diligentius examinarē eius natiuitatē inueni in illud tēpus fœliciſsimas directiones incidere, quarum fauore eo anno fœliciſsimus & diuitiis auctus fuit. Cumque eidem biennio poſt eodem modo electionem facerem, mediocrem ſūmam pecuniæ amiſit ludens, & tamen eadem ratione, qua antea, electionē conſtituerā. Sed directiones eius anni habuit infœliciſsimas in quo etiam alterum crus fregit, ac coniugem amiſit &c. Hoc ideo prolixius moneo, vt cautior ſis in electionibus conſtituendis, nec mireris eas interdum procul à ſcopo aberrare, cum videlicet fundamenta directionum repugnant. Nūc ordine capita præcipuarum electionum explicabimus.

Electio ſectionis venarum.

Hæc conſideratio in medicationibus neceſſarium vſum habet.

1 *Primum conſiderentur hæc generalia: Aetas hominis, complexio, dies ſerena,* anni tempus commodum, *niſi neceſsitas vrgeat ſectionem.* In eo enim caſu prudentes Medici electionem neceſsitati propter moræ periculū plerumq; poſtponunt.

2 Deinde Lunæ configurationem cum Sole:
Iuuenibus conuenit Luna creſcens lumine.
Senibus & ætate prouectioribus decreſcens vel diminuta lumine.

3 Signum quod Luna occupat pro ratione complexionis nati.

Signa apta	Sanguineis	Bona / Medioeria	
	Cholericis Aquea	♋ ♏ ♓	*Modo ne Saturnus vel Mars in radice natiuitatis ea ſigna occupent, aut infœliciter aſpiciant.*
	Phlegmaticis Ignea	♈ ♐	
	Melancholicis aërea	♎ ♒	

Reliqua ſigna Gemini, Leo, Scorpio. *Item terrea*, Taurus, Virgo, Capricornus impediunt ſanguinis miſsionem.

Omnino autem in loco Lunæ cauendum eſt, ne membrum ſcalpello feriatur, cuius membri ſignum Luna eo tempore occupat.
Nam cum ea, totum corpus humectet, id membrum præcipuè humoribus implet, quod ei ſigno ſubiicitur, per quod tunc ipſa diſcurrit, ex cuius nimia humectatione magnum ei nocumentum afferri poteſt, ſi ferro tunc ictum fuerit. Quod verò ſignum cui membro præſit, ſupra in iuditio de

 ægritudini-

ægritudinibus expoſuimus.

4 Luna libera ſit ab impedimẽtis maleficarum & beneficis amico radio configurata.

Hæc etiam ſine natiuitate nati cognita vſum habent, Quod ſi conſtiterit tibi de eius natiuitate,diligenter inquire, quæ ſigna malefici occupent. Nam ea incommodiſsima ſunt miſsioni ſanguinis, Deinde caue ne eo momento aſcendat ſignum tale quod in radice duodecimam,ſextam,vel octauam domum occupẽt, aut in quo malefici verſabantur, aut ſuos radios hoſtiles ſparſerunt. Tertio caue ne dominus aſcendentis ſigni tempore phlebotomiæ ſit in quarta cum Luna aut cum domino octauæ configuratus. Malefici cadant ab angulis. Poſtremo ſeptima & eius dominus non impediantur à maleficis. Nam hic locus chyrurgum ſignificat.

Potiones quando ægrotantibus dandæ ſint.

Primũ ſi fieri poteſt,& niſi maiora impediãt pericula, habẽda erit ratio generalium temporum. Vere corpora commodius purgantur quam æſtate aut hyeme, *difficilius circa canis ortum & occaſum. Item frigidiſsimis aut calidiſsimis diebus.*

2. Deinde obſeruanda erit Luna, que decreſcens lumine, & ab impedimentis maleficarum aut coniunctione cum retrogrado planeta libera, cõmodior eſt purgandis humoribus,niſi prorſus Soli propinqua ſit, tum enim prohibitum eſt ægrotis medicinam facere.

3 Signum per quod Luna decurrit. Aquea autem Cancer, Scorpius, Piſces, maxime ſunt idonea ſubducẽdis prauis humoribus phlegmaticis,propterea quod Luna humectatrix corporum,in ſimilibus ſuæ naturæ ſignis vires ſuas magis exerens,aluum etiam efficacius cieãt. Aerea ſigna, Gemini, Libra & Aquarius, commodiora ſunt Melãcholicis humoribus purgandis.

Ex his tamen imbecilliora ſunt Cancer & Gemini, quia præſunt ſuperioribus corporis partibus, & magis vomitum quàm aluum mouent.

4 Habenda erit etiam *ratio configurationis reliquorum planetarum* cum Luna.

*Saturnus & Mars Lun*am aſpicientes quoquo modo, impediunt medicationes.

Sol & Venus bono aſpectu cum Luna configurati, iuuant.

Iouis autem & Lunæ coniunctio omnino hebetat vim purgationum,ita augens corporis vigorem, vt medicamentorum vis excocta parum poſsit.

Quod ſi horam ſumendis Pharmacis aptam quoque eligere libet, cauebis ne aſcendant ſigna ruminantia, Aries, Taurus, Capricornus, aut Leo. Item ſigna ſuperioribus partibus corporis dominantia,quæ impediunt quo minus ſordes ad inferiora ferantur. Aptiſsima ſunt aquea.

Dominus ſigni horoſcopantis iungatur corpore aut aſpectu planetæ alicui ſub terra verſanti. Nam ſi coniungatur ſtellæ quę ſupra terram feratur, excitata nauſea mouebitur ſtomachus, quem motum ſubſequens vomitus purgationem ipſam impediet.

Electio curationis certi alicuius membri affecti.

Mem-

Membrum affectum commode confortatur, dum signum quod ei membro dominatur à maleficorum presentia & eorum aspectu inimico liberum est, & Luna non impedita per illud signum iter faciat beneficis coniuncta.

Item planeta bene affecto qui dominatur illi membro.

Item signo ascendente hora curationis bene à benignis affecto.

Electio balneis conueniens.

Balnea aut munditiei aut sanitatis recuperandæ gratia adhibentur. Quæ munditiem præcipuè spectant, commode fiunt eo tempore, quo sanguinis missio est salutaris & fausta, Luna videlicet in Libra aut Piscibus cum Venere, aut in eius amico aspectu versante.

Quæ valetudinis causa adhibentur, variant pro ratione morbi, qui si humectationem desiderat, vt in tabidis, Luna sit in aqueis signis & in Iouis ac Veneris benigno aspectu. Sin desiccationem, vt in paraliticis, Luna insignis igneis, Ariete, Leone, Sagittario: ac Solis aut martis amica cõfiguratione sit constituta.

Capilli quando tondendi sint.

Luna crescente & in signis pilosis, præcipue *vero Tauro, Virgine*, Libra, constituta in Iouis aut Veneris aspectu bono, capilli tonsi, cito & cum decore renascuntur.

E contra tardius, Luna decrescente, & per Cancrum, Scorpionem, Pisces vel Sagittarium iter faciente in aspectu Solis vel Mercurio bono.

Lumine diminuta Luna in Ariete caluos facit, si eo tempore tonsio fiat, præsertim si à maleficis male affecta sit.

Quando ablactandi sint infantes.

Appetitus & gula plerumq; inclinant ad naturam signi quod luna tempore *ablactati infantis tenuit*, & quod eo tempore ascendit, & naturam planetarum *qui cum illis signis participant.*

Signa humana & Venere a luna in benefico *aspectu beneficarũ delicatos* faciunt.

Leo & Mars carnium appetentes.

Aquea, qui Piscium esu magis delectentur.

Terrea, qui leguminibus ac fructibus aut rebus è terra nascentibus. ♈ & ♑ præferuntur omnibus, si à Saturno bene aspiciantur.

Luna à Sole remota & feralis tẽpore ablactationis prodest, ad hæc vt infans facilius obliuiscatur nutricis.

Coniugum desponsationes, quo tempore auspicatiores sint.

I. In virorũ desponsationibus Luna & Venus cũ Ioue feliciter configurentur in potentioribus locis figuræ cœli.

In fæmellarum connubijs Sol & Mars.

II. Signum domus sepitmæ ac Lunæ (si pro hora etiam thema cœli constituere libet) & Ascendens, saluum sit, et ex eorum numero quæ fauẽt cõiugio,

iugio: Ea sunt Taurus, Libra, Sagittarius, Aquarius, Pisces, & pro viduis, Virgo.

Sed, vt supra dixi, necesse est vtriusq; coniugis genituram habere felices coniugii significationes, atq; ita demum aliquid proderit electio.

Dignitatum & officiorum initia quo tempore sint auspicatiora.

1 Luminaria sint in suis dignitatibus si fieri potest aut certè nō impedita à maleficis.

2 Fortunæ (præcipue Iuppiter) sint in ascēdēte directæ, Sol in Medio cœli.

3 Vndecima domus & secunda sint fortes et bene affectæ. Nam hæc popularē censum, illa consiliarios & domesticos, qui consilia & opera demum adsunt, significat. Quare si hæc loca à maleuolis sint occupata, detrimenta, & incommoda ab eorum significatis portendunt, eoq; maiora si beneficæ stellæ illis nullam opem attulerint.

In militaribus dignitatibus subeundis necesse est Martem feliciter esse constitutum.

Sed successus dignitatum & officiorum manifestius ex themate natalitio apparebit.

Electio temporis accommodati Peregrinationibus & Legationibus.

Hæ electiones sine themate genituræ aut reuolutionis vtiliter fieri non possūt. Proinde eam diem & horam eligas peregrinationibus suscipiendis, qua Luna & ascendens cōgruāt cū radice natiuitatis aut reuolutionis anni.

Nona & tertia domus atq; harum domini sint bene affecti. Signa aquea nauigationibus: fixa itineribus terrestribus conueniunt. Deinde negotiorū qualitates considerandæ sunt.

1 Quando iter susceptum est ad regem, decima domus natiuitatis consistat in ascendente.

2 Planetæ dominantes personis ad quos suscipitur legatio vel profectio sint fortes & bene constituti.

3 Luna, *quæ propria significatrix est itinerum, sit fortunata, & libera ab aspectu inimico maleficarū, beneficis cōfigurata.* Malefici cadāt ab angulis

Postremo cum octaua domus figuræ electionis index sit eorū quæ peregrinatori euentura sint, postquam ad destinatum locū peruenit, septima eorū quæ in abitu, secunda eorum quæ in reditu, iuxta Ptolemæi sententiam: Ergo hæc loca quoq; erunt consideranda, quorum constitutio si bona fuerit, & domini eorum locorum benefici vel bene affecti, omnia cedēt ex animi sententia & fœliciter.

De nauigatione.

Volens hic omitto Arabum ieiunas disputationes de nauis fabricatione & deductione in aquas, atq; hoc tantum moneo, quod Pindarus inquit: Sapientis nautæ esse triduo ante venturam tempestatem præsenti Signa præsagientia tempestates euidentia sunt.

Lunæ cum Marte congressus, vel cum stellis fixis eius naturæ, Item ortus & occasus Arcturi, Orionis, Hædorum, Canis, quæ sydera quotannis statas tempestates cient.

Similiter obserua frigida Saturni quo sese stella receptet.

Item

Item an coniunctio vel oppositio luminarium proxima tẽpestatẽ præsagiat.

Reliquas electiones de ludo, Alchymia, vestibus induendis contractibus, seruorum conductione, vnguium sectione, propter exilitatem volens omitto, qui volet petat eas ex aliorum libris. Ego certe parum istis tribuo, qui sciam ea à potioribus fundamentis ipsarum geniturarum, earumq; directionibus certius sumi. Quod autem sæpius monui electionibus necessariam esse collationem genituræ eius, cui electio constituitur, id nunc quoq; moneo, vt diligenter fiat, alias parum profuerit solam electionem esse secutũ.

Postremo & hoc admonitione dignum est in hac doctrina, quiduis auspicató fieri cum Luna transit ea signa quæ Iuppiter, Venus, Pars fortunæ & caput Draconis in radice natiuitatis occupant. Item quæ à Ioue & Venere amico radio aspiciuntur, modo sint in locis figuræ cæli præcipuis, videlicet decima, vndecima, prima vel secunda, libera à maleficarum radio hostili. Experientia enim ostendit quidquid commodi, vtilitatis, aut voluptatis, nato obuenit, id maxime ei contingere Luna per hæc loca iter faciente. Sicut écontra, tristia quæq;, & animi ac corporis perturbationes ferè semper eueniunt, Luna per loca maleficarum in radice, aut per ea signa, quæ ab illis læduntur, ingrediente. Itaq; & superiores electiones phlebotomiæ, medicamentorum &c. auspicato eo tempore fieri possunt, nisi repugnẽt doctrinæ de singulis capitibus, supra traditæ, vt si cui in Leone Iuppiter esset constitutus in radice, non posset tamen ob hoc in eo signo luna existente, commode sanguinem mittere cum iuxta superiorem de phlebotomia doctrinam illud signum sit inconueniens venarum sectioni.

SECVNDA PARS, de iuditiis natiuitatum.

HActenus primam partem doctrinæ Genethliacæ, qua potuimus diligentia & fide tradidimus, reuocatam ad vniuersalem quandam rationem, qua omnium geniturarum iuditia componi possint, omissis aphorismis & particularibus constitutionibus ob breuitatem, tradituri postea coniunctim illa integro volumine cum plurimarum geniturarum exemplis. *Restat nunc altera & operosior pars de tempore euentus futuri seu decreti, quo is potissimum sit se ostensurus. Hæc pars vt difficilis & operosa* est, ita immensum vsum vitæ & dulcissimam voluptatem ingeniis bene natis adfert, Estq; velut exædificatio prioris doctrinæ de iuditiis, quæ mutila est & manca nisi hæc etiam de definitione temporis adiungatur.

Vt autem breuiter etiam hanc partem attingamus hoc loco, quæ per se prolixa est, primo obseruandum est hoc:

Tempora decretorum vel casuum qui nato sunt in vita iuxta positum & significationem thematis natalitii euenturi, inquiruntur ac definiuntur triplici ratione.

1 Per directiones significatorum ad suos promissores.

2 Per profectiones significatorum ad suos promissores, & transitus planetarum.

3 Per reuolutiones natiuitatum.

Ex directionibus deprehenditur generalissimum tempus euentus, videlicet annus. Ex profectionibus & transitibus postea menses & dies eius

euentus

euentus, cuius annus per directiones inuentus est, eruuntur. Sed cum directionum effectus interdum eo anno statim appareat ac vigeat, in quem incidunt, interdum tarduus, vt post annum vel biennium, Ideo illis adhibētur reuolutiones annuæ velut testimonia euidentiora, vt ex earum conuenientia aut discrepātia cum directionibus certius inueniatur annus euentus futuri. Si enim directio fuerit bona, hoc est, si promittat fœlicitatem, & reuolutio illius anni in quem incidit bona directio similiter fuerit bona, hoc est, conueniens cum significationibus directionis, effectus in anno quem directio ostendebat, apparebit. Sin bona fuerit directio & reuolutio illius āni mala, effectus directionis imbecillior erit eo anno, & ad sequētium annorū aliquē vim suā reseruat, quo bona reuolutio ei astipuletur. Nā directionum vis plures annos durat, donec significator ad alium promissorem pertingat, Effectus tamen earum euidentior est & fortior in initio, cum nondū ita diu durarunt: & paulatim vires amittit, cum iam aliquot annis viguerūt.

DE DIRECTIONIBVS.

Quid sint directiones, quid significator, quid promissor, quæ loca sint dirigenda, & quomodo calculus directionum instituendus sit, ea omnia copiose & diligenter tradidimus in nostra methodo, quam ante quinquennium cum tabulis directionum Regiomontani edidimus, quæ si hic repeteremus nimium excresceret operis huius moles. Quare remitto lectorem ad eas tabulas, vt inde rationem dirigendi petat, quam doctrinam si mihi vitam prorogarit Deus, adhuc explicationibus & nouis tabulis illustrabo, ex quibus directiones citra omnem laborem & molestiam absq; declinationibus, ascensionibus rectis, circulis positionum, & aliis requisitis desumi possint ad quamcunq; latitudinem planetæ, quod nemo ante nos tentauit, quas tabulas, iam magna ex parte conditas & absolutas, in studiosorum gratiam propediem euulgabo. Iam de significationibus directionum supputatarum doctrinam compendio breuissimo tradam.

PRIMO *videndum est vtrum facta directio bona seu fausta sit, vel mala seu minax, quod ab aspectibus amicis & hostilibus cognoscitur.*

1 *BONA seu felix directio cōfert* fortunam & felicitatem in iis rebus, quas significator directionis factæ per se significat, & in ijs, quas significat per accidens, hoc est ratione domus in qua constitutus est, & cui vel quibus imperat in radice.

2 CAVSA fœlicitatis ostenditur à promissore eodem pacto, vt iam de significatore dictum est, per se & per accidens. Deinde à domo cœlesti in quā fit occursus directionis, hoc est in quam domū incidit gradus promissoris.

1 MALA seu infœlix directio aduersā fortunā portendit in iis rebus quas significator per se & per accidens significat, vt supra.

2 CAVSA infœlicitatis orietur, à rebus quas promissor directionis illius per se & per accidens significat, & ratione loci in quē occursus directionis incidit.

SINGVLORVM planetarum & locorum, quæ significatorum vicem subire possunt, res, quas per se significant, & pro quibus dirigi solēt sic se habēt

HOROSCOPVS in quauis genesi significat vitam & corpus hominis, cō

plexionem

plexionem & corporis atq; animi affectiones, mores. Si is ad loca benigna per directiones venit, significat corporis atq; animi prosperitatem, sanitatem alacritatem &c. Sin ad mala, contrarium.

LVNA, complexionem corporis & animum, itinera, peregrinationes, matrimonium, statum vxoris & mulierum sanguine iunctarum.

PARS FORTVNÆ diuitias, affectionem corporis. Idem significat dominus patris fortunæ quisquis illæ fuerit.

MEDIVM COELI, honores, dignitates, officia & administrationes publicas, fauorem magnatum, magisterium nati, & matrem, Idem significat dominus eius loci quisquis is fuerit.

SATVRNVS maiores nati, patrem & auos, hæreditates ædificationes, possessiones, fructus terræ. Item timores, metus & animi abiectionem maiorem vel minorem, prout directio eius bona vel mala fuerit.

IVPITER, Gloriam, laudem, diuitias, liberos significat per se.

MARS, Victoriā, fortitudinis incrementū vel decrementum & fratres.

VENVS, matrimonium, amorem, gaudia, res preciosas, Virgines & mulieres sanguine iunctas.

MERCVRIVS Ingenium, industriam, magisterium, negotiationes, itinera & fratres minores.

Hæc per se significant singuli planetæ in directionibus, & pro harum significationū euentu singuli dirigi solent. Accidentales significationes assumunt à natura domorum, in quibus constituuntur, atq; etiam quibus imperant. Domorum autem singularum significationes supra exposuimus in loco de diuitiis.

II. Quantitas effectus directionis.

MAGNITVDO & vehementia effectuū sumitur ab vtriusq;, scilicet significatoris & promissoris fortitudine aut debilitate in radice natiuitatis. Quando vterq; est in suis dignitatibus essentialibus & forti loco, euidentia atq; magnitudo effectus erit insignis, vt si directio esset Solis ad Sextilem Lunæ vtroq; luminari in radice potente & in dignitatibus essentialibus constituto, ingens & manifesta felicitas nati futura, esset eo tempore in significationibus Solis propriis & accidētalibus: Et causæ felicitatis illius similiter essent futuræ graues & insignes, quas Luna per se & per accidens promitteret, Eodem modo de reliquis.

Quando alter eorum est potens, alter debilis erit effectus mediocris. Et videndum est vtrum significator vel promissor sit fortior: Si potentior fuerit significator, effectus fortunæ erit sine grauibus causis. Sin promissor: fœlicitas apparebit quidem, sed non pro magnitudine causæ, à qua orietur, nato fortuna.

Quando vterque debilis est in radice, leuis etiam erit effectus, & leues causæ fortunæ. Et quo debiliores fuerint significator & promissor, eo remissiores erunt euentus & causæ fortunæ. Quod si prorsus debiles fuerint, fieri potest vt frustrentur decreta directionum, ita vt vmbra quasi & species fortunæ se ostendat, non ratus effectus.

Atque hoc loco obseruandum est: Si malefici promissores in directionibus portendant infortunium & aduersos casus, leuiora mala futura, si in radice

radice sint fortes, atq; in domibus suis constituti, nam eas non euertunt, ac minus quam aliâs solent, cum male affecti sunt, nocent.

Fit etiam sæpe vt in eundem annum ætatis nati incidant & bonæ & malæ directiones, diuersorum tamen significatorum. Id nullam ambiguitatem parit, quia vtræq; suas vires in eodem anno possunt exercere sine mutuo impedimento, nisi sit earum quædam conuenientia, vt Lunæ & horoscopi, quorum vterq; valetudinem significat. Hoc modo aliquis eodem anno habẽs directionem horoscopi ad promissorem malignũ: medii cœli vero ad benignum, potest eodem anno & grauiter decumbere, & tamen ad magnos honores peruenire. Sic fieri interdum. Videmus vt aliqui in ipsis nuptiis repente moriantur. Sic Hunniades in ipso carcere ad regiam dignitatem electus est. Potest etiam fieri vt eiusdem significatoris diuersæ directiones bonæ & malæ in eundem annũ incidant, idq; etiam nihil parit ambiguitatis. Nam diuersis temporibus eiusdem anni suos effectus præstare possunt, perinde vt in præcedenti casu. Hoc modo fieri potest, vt aliquis in prima anni parte diuitiis insigniter augeatur, in posteriore eiusdem anni parte insignia detrimenta capiat, vel contrà.

DE PROFECTIONIBVS.

Ratio profectionum persimilis est directionibus, sed longe facilior & explicatior. Conueniunt autem profectiones omnibus planetis & locis istis, quæ alias dirigi solent, & ex sequente tabella, omnibus natiuitatibus inseruiente, maxima ex parte perficiuntur.

Typographus Lectori.

Profectionum annuarum tabulam, quoniam ob spacii angustiam non potuimus hîc locare in sequentem paginam transtulimus.

Columna annorum ætatis nati currentis.											
1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12
13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	23
25	26	27	28	29	30	31	32	33	34	35	36
37	38	39	40	41	42	43	44	45	46	47	48
49	50	51	52	53	54	55	56	57	58	59	60
61	62	63	64	65	66	67	68	69	70	71	72
73	74	75	76	77	78	79	80	81	82	83	84
Tabella annuarum profectionum.											
♈	♉	♊	♋	♌	♍	♎	♏	♐	♑	♒	♓
♉	♊	♋	♌	♍	♎	♏	♐	♑	♒	♓	♈
♊	♋	♌	♍	♎	♏	♐	♑	♒	♓	♈	♉
♋	♌	♍	♎	♏	♐	♑	♒	♓	♈	♉	♊
♌	♍	♎	♏	♐	♑	♒	♓	♈	♉	♊	♋
♍	♎	♏	♐	♑	♒	♓	♈	♉	♊	♋	♌
♎	♏	♐	♑	♒	♓	♈	♉	♊	♋	♌	♍
♏	♐	♑	♒	♓	♈	♉	♊	♋	♌	♍	♎
♐	♑	♒	♓	♈	♉	♊	♋	♌	♍	♎	♏
♑	♒	♓	♈	♉	♊	♋	♌	♍	♎	♏	♐
♒	♓	♈	♉	♊	♋	♌	♍	♎	♏	♐	♑
♓	♈	♉	♊	♋	♌	♍	♎	♏	♐	♑	♒

Porro cum profectiones annuæ particularia euentuum tempora ſcilicet menſes & dies definiant, vt ſupra dictum eſt.

Vſus tabulæ Profectionum.

1 *Primo ex hac tabella inquirere oportet ad quæ ſigna & quas domos radicis pertineant annuæ profectiones ſignificatorum, hoc eſt planetarum* & locorum quæ dirigi ſolent. Id hoc modo fit.

Quare annum ætatis propoſitum vel currentem in corpore columnæ annorum, ſignum loci natiuitatis propoſiti vel planetæ ſignificatoris in capite tabellæ, & inuenies in angulo communi ſignum Zodiaci, ad quod profectio loci propoſiti pertingit. Hæc profectio in eam domum incidit, in qua ſignum inuentum conſtituitur in radice natiuitatis. Oportet autem te hic ſingulis domibus æqualem graduum numerum tribuere.

Exemplo res plana fiet. Sumamus igitur ſecundæ geniture exemplum. Anno ætatis nati currente tricesſimo quinto:

Profectio horoſcopi eſt in G. 15. M. 16. ♏ ad vndecimam domum radicis cum videlicet ſingulis æquales gradus tribuuntur, quod fieri oportet.

Profectio ☉ in G. 17. M. 25. Aquarii, ad ſecundam domum radicis.

Profectio ☽ in G. 9. M. 47. ♑. in duodecimam & poſtea in primam radicis domum.

Profectio partis fortunæ in G. 17. M. 38 ♎ ad nonam & deinde decimam radicis domum.

Profectio Medii cœli in G.16. M. 45. ♍, ad nonam domum.

Profectio ♄ est eo anno in G.21. M.50. Aquarii, in quarta radicis.

Profectio ♃ in G. 16. M.45. ♈, ad quartam domum radicis.

Profectio ♂ in grad. 6. minut. 41. ♎, ad nonam domum radicis, deinde etiam decimam.

Profectio ♀ in G. 22. M. 18. Aquarii ad secundam & deinde ad tertiã domum radicis.

Profectio ☿ in G.29. M.29. ♑. ad primam domum radicis postea etiam ad secundam peruenit eo anno.

Hæ sũt profectiones singulorũ significatorũ ad annũ ętatis nati 35. currẽtẽ.

2 Cum inuentum est ad quam domum & quod signum radicis profectio alicuius planetæ seu significatoris pertingat, videndum est qui aspectus singulorum planetarum & quales ad illud signũ vel ad eam domũ proiiciãtur.

3 Considerandum est quomodo planeta is cuius profectio instituta est ordine applicet ad singulos aspectus, *qui ad eam domũ ab aliis proiiciũtur.*

4 *Ex his aspectibus postea dies certi alicuius mensis* supputantur, quo profectio significatoris ad aliquem promissorem, seu eius radium peruenit hoc modo: Subtrahe locum significatoris à loco promissoris seu eius radii, & relinquitur distantia significatoris, pro cuius quolibet gradu sume. 12. dies, pro quibuslibet minutis quinq; quæ adhærent gradibus, *diem* vnũ Sũma dierũ collecta, si à die natali numeretur, ostendit diẽ & mẽsẽm quo profectio significatoris propositi ad radiũ certi alicuius promissoris peruenit.

Iam si voles certi alicuius decreti casus nato euenturi tempus particulare definire.

1 Considera qualis sit directio, bona ne an mala, & quorum planetarũ, hoc est, quis significator, quis promissor, Nam profectiones sine directionibus consideratæ parum possunt.

Postea considera dies *profectionum,* qui *sunt aut boni seu fausti, aut mali & infausti pro ratione aspectuum amicorum vel ho*stilium, & si dire*ctio est mala,* hoc est, si minatur infortunium, assume ad eam directionem similes dies profectionum, scilicet malos, potissimum vero eorum significatorum & promissorum, quorum est directio facta: Siu bona est directio assumas dies profectionum fœlices, eorum planetarum potissimum quorũ sunt directiones factæ. Ita habebis annum, mensem & diem euentus seu casus in radice significati. Sed repeto exemplum superius.

DIES boni ac mali profectionis annuæ Horascopi.

26.	Septembris Ascendens ad △ ☿ dextrum.
21.	Decembris Ascendens ad ☌ ♂.
23.	Decembris Ascendens ad ☌ partis fortunæ.
27.	Ianuarii, Ascendens ad □ ☽ dextrum.

DIES boni ac mali profectionis annuæ Solis.

25.	Maij ☉ ad ⚹ ♀ dextrum.
27.	Maij ☉ ad ⚹ ♄ dextrum.
25.	Nouembris ☉ ad □ ♂ sinistrum.
22.	Decembris ☉ ad ☌ ☽.
27.	Martij ☉ ad □ ♃ dextrum.

DIES boni ac mali profectionis annuæ Lunæ.

21. Iunij ☽ ad ⚹ ☉ dextrum.
24. Augusti ☽ ad □ ♀ dextrum.
27. Augusti ☽ ad □ ♄ dextrum.
10. Nouembris ☽ ad ⚹ ♂ sinistrum.

DIES boni ac mali profectionis annuæ Martis.

27. Iulij ♂ ad △ ♃ sinistrum.
25. Augusti ♂ ad ☍ ☉.
20. Septembris ♂ ad ☍ ♀.
23. Septembris ♂ ad ☍ ♄.

Eodẽ modo reliquorũ significatorũ dies & menses per profectiones elicien dę sunt. Satis sit nos horum annotasse annuas loco exempli profectionęs.

DE TRANSITV PLANETARVM.

Absoluimus breuiter duas rationes definiendi tempora euentuum: directiones scilicet & profectiones, quarũ hæ specialia tempora, scilicet menses & dies, illæ generalia, videlicet annos definiunt. Porro ad specialium temporum inuentionem etiam vtiliter adhiberi possent transitus planetarũ, quorum vis etiam euidens est. etsi autem possent plures transitus nu merari, tamen tres precipuam habent vim & autoritatem.

1 Planetarum singulorum super gradum horoscopi.

2 Transitus Solis per loca singulorum planetarum atque etiam Medii cœli, partis fortunæ & horoscopi.

3 Domini horoscopi per eadem loca.

Tot transitus vim et effectum euidentem habent. Dicuntur autem transire loca planete, non tantum cum corpore in illis præsentes sunt, sed etiam cum aspectibus suis siue beneficis siue inimicis loca ista tangunt.

De supputatione transituum non opus est regulam tradere cumfacillimũ cuiuis sit eos ex Ephemeridibus numerare.

Vsus eorum pręcipuus est is, qui profectionum, ut videlicet coniungantur cum directionibus pro inueniendo mense & die euenturi casus.

Si bona fuerit directio, etiam boni seu fœlices dies, per transitus inuenti ad directionem adsumantur, & eorum planetarum vel locorum potissimũ quorum est directio.

Similiter si mala fuerit directio, mali eligantur. &c. Quod si plures dies fœlices aut infœlices, ab iisdem planetis quorum est directio significentur assumantur, ad eas illi transitus, qui vel in bonam vel in malam partem plus efficatiæ & virium habent, vt coniunctio plus valet quam Sextlis aspectus aut △. Oppositio plus nocet quam □. Sic sinister aspectus efficiatior est dextro. Atq; hoc modo transitus cum directionibus & profectionibus coniuncti vsum suum in mensibus & diebus accidentium determinandis habẽt. ob facilitatem exemplis nullis eget.

DE REVOLVTIONIBVS.

Restat vltima pars de reuolutionibus Natiuitatum, quæ, quemadmodum supra diximus, necessarium est adminiculum Directionum: vt inde constet, quo anno Directiones, suas vires maxime et facillime exerere possint. Natiuitatum autẽ reuolutiones nihil aliud sunt, quã annua reuersio Solis ad punctum zodiaci, in quo fuit tempore natiuitatis.

Regu-

Regula facilis, per quam exactius veriusq; reuolutionũ figuræ constitui possunt, quam per Alphonsina fundamenta, per I. D. descripta.

Multiplica annos Nati completos per horas 5. M. 55. Secunda 10 et excrescens collige tempus per Species suas. Et quoties poteris ab illo tempore (ita producto) horas 24. Subtrahe: Residuumq; tuæ radicis tempori (astronomice explicato) adiunge: Et sic prodibit tempus reuolutionis currentis quęsitæ A cuius autem Diei meridie, tempus istud pendeat, Ephemerides per Solis Locum verum radicalem tibi monstrabunt Ad illud ergo tempus cœleste describas Thema, planetarumque loca et fixarum quæ vel prope angulos uel cum planetis fortiter sunt configuratæ, inscribas iuxta artis normam.

De vsu figuræ reuolutionum.

De vsu figuræ reuolutionum supra monui conferendum esse thema reuolutionis cũ directione sua, id est, quæ in eius tempus incidit. Quod si cũ ea cõgruet, hoc est si malæ directioni respõdet etiã mala reuolutio, ita vt corũ planetarũ quorũ est directio mala, etiã mala sit & debilis constitutio in themate reuolutionis, effectus malæ directionis potissimum in eum annũ incidet Eodem modo si bona fuerit directio & in themate reuolutionis quoq; bene constituantur iidem planete, quorum est directio bona effectus eiusdẽ directionis in eũdẽ annũ incidet Quod si reuolutio non cõgruet cũ directione sui anni, tũc effect⁹ eiusdẽ directiõis aut remissior erit, & obscurior, aut in sequẽtes ãnos differetur, donec ei reuolutio qualitate significationis cõueniens respõdeat. Atq; hoc modo absolui hanc quoq; partẽ doctrinæ de iuditiis natiuitatũ, quã exẽplis libẽter illustrassem vt priorẽ, sed operis moles quæ videbatur nimiũ excrescere, & aduersa valetudo mea, qua subinde conflictor, exhaustis assiduo & molestissimo ephemeridũ calculo viribus, me ab hoc instituto prohibuerũt. Quæ vero breuiter complexus sum in hac parte, ea summa & precipua capita totius doctrine continent, ac multo & frequẽti vsu in exẽplis plurimis a me obseruata sũt. Iuditiũ permitto doctis qui fundamenta huius doctrinæ intelligunt, & vsum artis habent Ego certe quod ad vniuersũ hoc opus pertinet, nullos labores defugi, quãtũuis molestos & graues, neque valetudini peperci, dummodo publicis studiis, pro mea virili prodessem, & otii mei honestã rationem reddere possem. Ac spero hanc meam operam studiosis harum artium gratam futuram. Neque vllæ opes aut vllum regnum mihi tanti erit quàm communis Reipub. literariæ vtilitas, eamque deinceps pro mea virili parte, quibus rationibus iuuare & ornare possim, ea fide et diligentia faciam, vt constet me singulari erga Rempub. literariam amore & fide fuisse.



FINIS.

LONDINI,
Excudebat Henricus Suttonus.
Anno à virgineo partu.
M.D.LVIII.

